
CHRISTIANI ALBERTI DOEDERLINI

ANIMADVERSIONES HISTORICO - CRITICAE

DE

THALETIS ET PYTHAGORAE THEOLOGICA RATIONE.



TYPIS IO. FRID. HAGERI,

MDCCL.

ILLVSTRISSIMO COMITI

AC DOMINO

DOMINO

SEYFRIED

S. R. I. COMITI A PROMNIZ

DYNASTAE

IN SORAV PLESSE

DREHNA

R. R.

ILLVSTRISSIME COMES!

Ex quo ILLVSTRISSIMA MATER TVA formandi TVI ingenii partes mihi credidit, nihil me mihi reliquum fecisse ad summum studium arbitror, quo optimis quibusque artibus atque studiis, quibus vt animus imbueretur TVVS pro virili annisus sum, ita vti, eòque ea transferre discas, quo si transferas, & patriae olim praesidio orna-

ornamentoque eſſe, & IPSE ſalutem conſequi poſſis eam, quae firma, certa, perpetua, poſt corporis etiam fata, futura ſit. Neque enim totum iſtud laborum ſtudiorumque genus fruſtra ſuſceptum non eſt; niſi eum noueris, totoque animo fueris complexus, qui non hanc modo TIBI vitam largitus eſt: ſed & impenſi quodam amoris cumulo ſuis ipſius infinitis moleſtiis, morte denique ipſa, expeditum TIBI muniuit ad veram felicitatem aditum. Quocirca ita TE inſtituendum eſſe duxi, vt ſanctiſſima ſacrarum litterarum oracula & magni facienda, & omnes cultus diuini rationes vitaeque praecepta inde non haurienda tantum: ſed & ipſo vitae modo atque conſtantia exſequenda eſſe exiſtimes: quam vnam eſſe viam atque rationem arbitror euitandae hinc impietatis illinc ſuperſtitionis, quod vtrumque portentum noſtra aetate tamquam alluuies perfracto aggere totum inundat terrarum orbem. Quod tamen tum demum

optatos

optatos nanciſcetur proſperosque ſucceſſus, cum non diſcendo magis, quam experiendo cognoſcas diuinas iſtas virtutes, quas ineſſe Deus in ſacris litteris voluit. Ridiculi homunciones depugnant accerrime & decertant in diuinam ſacrae ſcripturae auctoritatem: expeditiſſimam vero totius conficiendi negotii viam improbe ſpernunt atque negligunt, hoc ipſo ſignificantes, non veritatem ſeſe, ſed infinita quaerere certamina. Similiter mihi videntur facere, vt ſi ciues equis & viris, ſitne edictum quoddam ab ipſo rege profectum, dimicare vellent; cum tamen ipſe, quem conſulere queant, rex praeſto ſit. Eant, atque ſedato ab opinionibusque praeiudicatis vacuo animo apud ipſum precibus contendant Deum, ſi quidem magnificae iſtae ſplendidiſſimaeque, quas ſacra oracula oſtendunt; pollicitationes ab ipſo ſint profectae, vt & ſe in earum partem vocare dignaretur: qui propoſita praemia laetus aufert, nae is dubitare deſinet, an

eorum

eorum ipſe Deus auctor ſit habendus. Neque enim ad futuram modo iſta pertinent immortalitatem: placida pax proponitur animorum & ineffabilis quidam amoris diuini ſenſus, quem nulla praeſtare humana poteſt ſapientia. Atque haec ſunt iſta, quae Theologi vocant, argumenta diuinam fidem producentia, quibus neglectis aut ignoratis, fluctuaberis ſemper animo, nec, vbi ſecure conſiſtas, vsquam inuenies. Neque tamen propterea alterum iſtud argumentorum genus, quibus fides humana dicitur produci, nullius plane pretii vel vtilitatis putandum eſt. Faciunt eiusmodi argumenta ad perſpiciendam ſacrae ſcripturae praeſtantiam atque dignitatem, vel ipſa recta ratione iudice: muniunt animum contra impudentiſſimas vaſrorum hoſtium criminationes, atque inſeruiunt, tamquam leuis armaturae copiae, procul detinendis illorum molitionibus, ne ea, qua ſolent audacia & impudentia ipſam queant arcem inuadere. Quod cum

TIBI,

TIBI, ILLVSTRISSIME COMES! cui in celebritate hominum verſari, multaque multorum hominum experiri ingenia neceſſe erit, vel maxime profuturum arbitrarer; nulli peperci operae, vt hoc etiam concluſionum genere verecundiam quandam atque venerationem diuinorum oraculorum TVO inſpirarem animo. In quibus & illud me TIBI praecipere TE meminiſſe puto, vt gentium, quae mentis ſuae fictionibus relictae diuino ſcripturae ſacrae caruerunt lumine, miſerias, caligines atque tenebras in grauiſſimis religionis capitibus, contemplando intelligas, quam grato animo diuinum iſtud munus proſequi & agnoſcere nos oporteat. Hunc locum cum per otium dilatare paullum vberiusque tractare inſtituerim; varias mihi obſeruationes proferre licuit fortaſſe haud inutiles: inde vero haec enata eſt tractatiuncula, quam nunc TIBI exhibere, NOMINIQVE TVO dicare ſuſtineo. Caeterum, quandoquidem omnis

nis laborum meorum fructus, quod ad TE quidem attinet, non ex me: sed inde pendet, vt IPSE TV seruatoris tui sanctissimis praeceptis animum praebeas obsequentem; Deum ardentissime precor, vt ipso iuuante talis euadas, qualem TE esse & TVA ipsius postulat salus, & ILLVSTRISSIMA GENS TVA TE sperat futurum. Ita ex animo cupit optatque,

ILLVSTRISSIME COMES!

ILLVSTRISSIMO NOMINI TVO

Scribebam Drehnae
a. d. 4. Calendas Septembres
MDCCL.

addictus deditusque
CHRISTIANVS ALBERTVS
DOEDERLEIN.


BENIVOLO LECTORI
S.

Cum in animo mihi eſſet, ſummam Chriſtianae religionis praeſtantiam atque dignitatem aliquanto vberius ex eo demonſtrare, quod omnes omnium gentium ſapientes, quotquot eorum ſacrarum litterarum caruerunt lumine, turpiſſimis ſeſe grauiſſimisque de natura diuina erroribus obſtrinxerint; incidi in accuratiores paullo quaeſtiones de theologia Graecorum, in quam, tamquam in commune quoddam receptaculum, errores caeterarum gentium omnes emiſſi videntur eſſe atque deriuati. Multa paſſim obſeruaui nec iniucunda, arbitror, ſcitu, nec fortaſſe etiam vbiuis obuia. Verumtamen omnes perſequi Graeciae philoſophos hoc quidem tempore nec lubet nec vacat: duos TIBI exhibeo ſpeciminis loco viros, qui principes Graecorum artem quandam atque diſciplinam vt vniuerſae philoſophiae, ſic & theologiae inſtituiſſe conſtanti feruntur memoria: in quorum theologica ratione exquirenda quid a me praeſtitum ſit, iudicium omne penes TE eſto. Facile credo, non defuturos, qui totum hoc diſputationis genus leue nec ſatis dignum putent, in quo exerceantur ingenii vires. Equidem magnos viros, quorum vires maiori ſuſtinendo oneri & pares ſunt & deſtinatae, ad has reuocare minutiores curas quis cupiat? Sed quod ad me attinet, & delector iſtis quaeſtionibus, neque eas ad intelligendas ſublimiores interioresque litteras vtilitate carere inſigni quotidie experior. Quocirca &, quantulumcunque mihi a potioribus negotiis

ſuper-

ſupereſt otii, illud magnorum quorundam hominum exemplo ingenue fateor his a me tribui litterarum ſtudiis. Erunt fortaſſe, qui ſimilem ab hoc quaeſtionum genere expectantes fructum, non faſtidiant hanc qualemcunque commentatiunculam; atque his me non omnino diſplicuiſſe ſatis habebo. Iam vero meum eſſe videatur, pacem magnorum virorum exorare, a quorum acutiſſimis praeſtantiſſimisque commentationibus diſcedere paſſim auſus ſum. Verumtamen contineo ipſe me: neque quin animum tantorum virorum, eiusmodi adhibita excuſatione, offenſurus potius forem, quam gratiam conciliaturus, dubito; vt qui non ingenii magis atque eruditionis, quam ſummae humanitatis laude conſpicui & ſunt & eſſe cupiunt. Neque etiam tempus operamue perdi opus fuiſſet, ſi quidem, quod dicerem, aliud habuiſſem nihil, niſi quod dudum ab erudititiſſimis quibusque viris dictum eſt. Caeterum ſi Deus vitam atque vires benigne conceſſerit, neque mea TIBI diſplicere ſenſero; cogitationes meas de vniuerſa priſcarum gentium theologia, locis quibusdam communibus concluſas, propediem publice exhibebo, quibus cauſas errorum fontesque aperire atque oſtendere conſtitui, quam non modo pernicioſe ſed & inepte abſurdeque lapſi ſint omnes omnium gentium ſapientes in ſuis de natura diuina decretis, ſi quidem eadem cum ſanctiſſimis ſacrarum litterarum praeceptis conferas. Vale, BENIVOLE LECTOR, conatibusque meis, ſi quidem me, cui faueas, dignum iudicabis, faue.

CAP. I.



Cap. I.

DE THEOLOGIA THALETIS.

De vniuersa Graeciae philosophorum theologia pauca praeponuntur §. 1. Consilii ratio exponitur. Thaletis disciplinam alii aliter explicant §. 2. Quadripartita de Thaletis theologia disputatio instituitur §. 3. Thales vnum omnino totius naturae principium probat. Aristotelis locus explicatur §. 4. Alia huius rei testimonia. Non vnius terrae nostrae principium aqua est. Idem valent apud Ciceronem initium & principium §. 5. Eadem ratio placuit Anaximandro & Anaximeni §. 6. Quod vberius explicatur. Defensio horum hominum frustra suscipitur §. 7. Anaxagoras primus, qui mentis effectionem induxit §. 8. Qua ratione Thales generationem rerum ex vna sibique in omnibus suis partibus simili materia explicauerit §. 9. Thales

Thales primam materiam in minima tribuit indiuiduaque corpuſcula §. 10. Idem eandem materiam animatam ſenſuque & intelligentia praeditam credidit §. 11. Hinc Thaletis theologica ratio expeditur §. 12. Veterum auctorum loca conciliantur. Argumentum concluditur §. 13. Thales theologiam ſuam totam ad ciuilem rationem tranſtulit. Immortalitatem animarum probauit §. 14. Immutata eſt ab eodem Aegyptiorum & Phoenicum ratio §. 15. Ionicorum & Heracliti theologia valde cognata eſt §. 16. 17.

§. I.

Graeciae philoſophorum principes, qui de naturalibus rebus inſtituerunt quaerere, in antiquam Aegyptiorum Phoenicumque diſciplinam incidentes, probatis rerum omnium corporeis initiis, ad vnius primae materiae effectionem cuncta videntur retuliſſe. Ad Aegyptios equidem quod attinet, antiquiorum pariter ac iuniorum complures haud parum ſtudii in eo collocarunt atque operae, vt tantam ab iſtis impietatem amolirentur; quos tamen omnes facile diligentia & ingenio ſuperauit RAD. CVDWORTHVS, tanto Aegyptiorum cauſam agens eruditionis apparatu, vt teſtimoniorum multitudine lectores obruat fere & obtundat (a). Verum his omnibus parum aut nihil omnino eruditum virum egiſſe, pari doctri-

(a) In SYSTEM. INTELL. p. 358. ſeqq.

doctrinae copia, ingenii acumine maiori ostendit ILLVSTRIS eius commentator, vir summe venerand. IOH. LAVR. a MOSHEIM (b). Neque ego quidem, ad celeber. BRVCKERI sententiam aggregare me quidquam dubito, de Aegyptiorum pariter atque Phoenicum ratione ita disputantis, vt vtrosque istos populos doceat ab vna quondam materiae primae mole generationem vniuersae naturae & mundi totius deduxisse. Quam quidem materiae molem denuo tribuerunt in duas partes, quarum subtilior, sensu intelligentiaque praedita, prima ex reliquae materiae vinculis emerserit sese, penetransque per crassiorem materiam atque eam digerens, anima mundi vocaretur. Eadem illa materiae subtilior pars appellatur Aegyptiis Phoenicibusque aether siue Coelum, atque fons credita est deorum pariter ac nostri animi. Crassior vero impuriorque materia Phoenicum chaos est, vnde subtilioris partis ope & agitatione adspectabilis ortus est mundus (c). Hanc eandem interpretationem nuper admodum suffragio suo ornatam nouis etiam argumentis firmare studuit vir celeberr. PAVLVS ERNESTVS IABLONSKI (d). Simili modo Graecorum

(b) In notis ad Cudworth. ll. cc.

(c) In HIST. CRIT. PHILOS. T. I. L. II. c. 6. §. 7. p. 240. seqq. & c. 7. §. 13. p. 284. seqq. conf. ERVDIT. ANGL. HIST. ORBIS VNIV. Introd. sect. II. §. 26. seqq.

(d) In PANTHEO AEGYPTIORVM, cuius pars I. hoc. ipso anno prodiit, vid. integra tria prior. cap.

rum vetustissimi procedentes, non prius, quam ipsa rei absurditas stultitiae eos admoneret suae, de mente diuina, materiae adiungenda, quaesiuerunt: simile quiddam passi illorum, qui animo aut stupido aut perturbato ad praecipitia locorum incaute temereque progressi, tum demum, perniciem suam prospicientes, colligere quasi sese pedemque referre consueuerunt. Hac certe ratione ARISTOTELES totam rem explicat: qui postquam monuisset, de materia, tanquam vna omnium rerum causa atque principio priores Graecorum philosophos vnice fuisse sollicitos, addit: προϊόντων δ' οὕτως αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδοποίησεν αὐτοῖς καὶ συνηνάγκασε ζητεῖν. *Hoc autem modo procedentibus, ipsa res eos duxit, & coëgit vlterius quaerere* (e). Aliud nimirum, quod ipse postea explicat Aristoteles, praeter materiam, principium quaerere coacti sunt, quod sit initium motionis & sensus. Quocirca duae magnae quasi extiterunt Graecorum philosophorum familiae, quarum altera, eaque antiquior, Phoenicum Aegyptiorumque more, ab vna materia, non quidem corporeum duntaxat mundum, sed ipsos iam deos hominesque putabat profectos esse: altera vero ad saniorem veluti mentem rediens, correctis paullulum priorum grauissimis erroribus, incorporale quoddam intelligensque principium, siue mentem diuinam, cum materia coniungebat. Prior ista sententia prisscis

(e) ARISTOT. METAPHYS. L. I. c. 3.

ſcis ſcholae Ionicae philoſophis non magis, quam Pythagorae omnibusque diſciplinae eius alumnis, ſi forte Timaeum Locrum excipias, videtur communis fuiſſe: poſterior autem Anaxagoram auctorem habet, quem antiquiſſimam illam diuinae mentis pene obliteratam memoriam reuocaſſe, explicandisque rebus naturalibus eam adhibuiſſe, notum eſt. Quamquam vero prior antiquiorque iſta Graecorum philoſophorum turba, Aegyptios Phoenicesque ſequentium magiſtros, explicantiumque apertioribus aliquantum verbis ea decreta, quae poëtae antiquiſſimi fabularum velo texerant, ab vna conabantur prima materia omnium rerum originem deducere; cum ad partes tamen diſciplinae explicandas peruentum erat, nonnullum inter eos obſeruatur diſcrimen. Quod & mirum videri non debet: cum amiſſis in dies magis, quae in chaus ratione latebant, veritatis veſtigiis, ſuam quisque mentis fictionem ſequentes, talem animo informabant rerum ortum, qualem facillime intelligi poſſe ſibi perſuaſerant. Quocirca alii primam materiam ſtatuebant vnius plane ſimilisque ſibi in omnibus ſuis partibus naturae eſſe: alii contra ex diuerſis diſſimilibusque inter ſe corporibus eam eſſe concretam comiſtamque credebant. Quorum prius priſcis quidem Ionicis, ac Heraclito, nonnullisque ſcholae Pythagoricae placebat alumnis atque ip etiam Stoicis, quamquam pleroſque ſecus ſentir non ignorem; hoc tamen rurſus obſeruato diſcrimine, quod Thaleti prima materia ad aquae,

primis eius fuccefforibus ad aëris, Pythagoreis vero nonnullis atque Heraclito Stoicisque ad ignis naturam proxime videbatur accedere. A diuerfis autem diffimilibusque inter fe corpufculis primam materiam Pythagoreis, Empedocles cum plerisque Pythagoreis, Democritus, Epicurus, compofuerunt, eiusdemque materiae alii vnam, aut nonnullas etiam partes animatas effe affirmabant: alii contra totum iftius primae materiae genus fenfu & intelligentia voluerunt omnino carere. Iam illorum, qui ad materiam primam diuinae mentis adiungebant effectionem, princeps, inter Graecos quidem, Anaxagoras ipfam fupremam mentem per vniuerfam intendi rerum naturam fundique putabat, cui rerum ordo atque defcriptio accepta debeat referri, in qua fententia & Socrates fuiffe videtur: Plato contra, hoc muneris fupremo Deo indignum iudicans, aliam quandam comminifcebatur intelligentem naturam, a fupremo Deo natam genitamque, quae, cum penetraret fe per omnem materiam, eique fingendae formandaeque effet praefecta, mundi anima vocaretur. Horum cum vterque iudicio Deum atque voluntate ad digerendam acceffiffe materiam praedicaret; Ariftoteles, deferens iftam rationem, neceffario ineuitabilique vinculo Deum cum materia copulauit, multiplicibus confictis fphaeris atque orbibus, quorum fingulis fingulae, fupremo autem orbi fuprema praefit intelligentia, tamquam motionis ordinisque principium.

§. II.

§. II.

am vero singulas istas philosophorum scholas
equi hoc quidem tempore nostri consilii
est. Neque tamen veterum philosophorum
uam fortasse maiorem iniuriam isto iudicio
ro fecisse nonnullis videamur, quam THA-
TI & PYTHAGORAE, quorum posterior
ime haud exiguam theologica ratione sua,
entiori etiam memoria, apud plerosque con-
utus est auctoritatem: nec etiam in vtriusque
losophia desunt, quae ad eruditissimorum
mentatorum disputationes addi possint.
iculum igitur in his duobus viris faciamus
siderandi, ecquid certius de eorum theo-
cis sententiis definiri, aut vberius explica-
que tradi posse videatur. THALES vero
esius eorum, qui artem quandam philosophiae
iplinamque inter Graecos constituerunt, prin-
s perhibetur: cuius ratio vniversa physica
, in qua simul priscarum gentium more o-
ium, tota eius inest de natura deorum dispu-
o. Neque a successoribus eius aliud fere
dquam tractatum est, praeterquam physica,
n noua plane philosophiae forma introdu-
etur a Socrate (f). Nemini autem hoc loco
um videri debet, quaecunque de antiquissi-
rum huius scholae philosophorum decretis
oni soleant, in coniecturis fere versari, quan-
quidem nec ipsorum, quos confecerunt, phi-
ophiae commentarii hodie vlli exstant; &

 aucto-

f) CIC. QQ. AA. L. I. c. 4.

auctores, quorum fidem hac in parte ſequi debemus, omnes nimis ſunt ab iſta aetate remoti, nonnulli vero negligentiae aut maliuolentiae etiam crimine haud carent. Atque hoc loco Ariſtotelis maxime auctoritatem video a magnis viris in certamen vacari (g). Abſoluere hominem cunctis, quae ipſi crimini datur, ego quidem nolim: cur autem, cum quae de Thalete Ariſtoteles diſputat, cum reliquis priſci aeui commentariis & cum ipſa re conſentiant, ſollicitare debeamus fidem eius, quid ſit cauſae, non video. Neque enim vnius ſtandum eſt Ariſtotelis teſtimonio. Cuncta rimanda ſunt vetuſtatis monumenta: quae quisque de Thaletis ratione commemorat, diligenter inter ſe conferenda: ad philoſophorum etiam, qui ex Thaletis ſchola prodierunt, ſententias animus aduertendus: atque tum demum ita quaeque explicatio ad veriſimilitudinem proxime accedere cenſenda eſt, vt coniunctis hisce legibus maxime ſatisfacit. Has ego ſecutus leges in exquirenda Thaletis theologica ratione, non adeo quidem vanus ſum, vt certi quid aut plane explorati praeſtare me poſſe putem; attamen tanta ſe probabilitatis ſpecie commendaturas ſe arbitror coniecturas noſtras, quantum fidei tribuendum eſſe iudicas commentariis priſcorum hominum. Omnino enim, meliores auctores rerum iſtarum cum non habeamus,

(g) Conf. ILLVSTR. MOSHEMIVS ad CVDWORTH. p. 111. ſeq. BRVCKER. l. c. L. II. c. 1. §. 4. p. 464.

mus, iis vtendum eſt, qui ſunt. Neque vero ſapiens quisquam in his, vetuſtate incompertis rebus ſua ſuſtinebit aliis obtrudere iudicia, quae, non quanto certiora omnibusque dubiis magis vacua: ſed quanto veriſimiliora ſunt, tanto meliora merito ducuntur. Quocirca & auctores mirifice inter ſe diſſentiunt, quaenam fuerit omnino Thaletis de origine rerum de naturaque Dei ſententia. Aquam equidem eum ſtatuiſſe initium rerum omnium, vno ore fatentur omnes (h): at huic Thalem nonnulli mentem diuinam adiunxiſſe dicunt, atque hanc ob cauſam mundum vocaſſe opificium Dei (i). Feruntur & alia quaedam eius praeclare dicta, a DIOGENE LAERTIO commemorata (k), quibus ſignificaſſe Thales videtur, caſtius paullo de diuina ſe ſenſiſſe natura. Horum auctoritatem ſecuti iuniorum nonnulli (l), hanc ſibi finxerunt

(h) CIC. de N.D. L. I, c. 10. PLVTARCHVS de Placit. Phil. L. I, c. 3, T. I, oper. p. m. 261. Edit. Froben. DIOG. LAERT. L. I. ſegm. 27. conf. ALDOBRAND. & MENAG. ad h. l.

(i) CIC. l. c.

(k) l. c. ſegm. 35, 36.

(l) In quorum numero ſunt STANLEI. Hiſt. phil. P. I, c. 6, p. 10. IOH. CHRIST. WOLFIVS in not. ad ORIGEN. PHILOS. p. 23 Qui tamen poſtea ſententiam quodammodo mutauit in HIST. MANICH. ante Man. p. 111. ſeqq. IOH. FRANC. BVDDEVS in THES. de ATH. & SVPERST. C. 1, §. 10. RADVLPH. CVD-

runt disciplinae illius formam: Deum esse mentem diuersam separatamque a prima materia: hanc, tamquam mundi animam, transire atque permeare per omnes vniuersi partes: hinc daemonum plena esse omnia, deumque & videre cuncta, & mundi gerere omniumque rerum curam.

§. III.

Verum, si accuratius rem consideraueris, quaecunque in hanc dicuntur sententiam: ea admodum incerta deprehendes & infirma esse. Purgandi Thaletis, atque tantae ab eo amoliendae impietatis studium abstulisse istos videtur magnos viros, vt pie magis, quam vere constanterque de Thaletis sententia statuerent. Neque ego hoc eorum improbo consilium: nec inuideo Thaleti, si quidem ipse saniora sapuit, quam quae de eo veteres scriptores memoriae prodiderunt. Verumtamen non id iam agitur, qualis fortasse Thaletis esse potuerit sententia: sed qualem eius nobis tradant rationem auctores illi, quorum monumenta vnum hodie habemus historiae philosophicae prisci aeui fontem. Vt igitur, qualis istius ex veterum scriptorum monumentis theologia statuenda sit, via & ratione inuestigemus, quatuor fere his locis totam nostram complectemur

CVDWORTHVS in SYSTEM. INTEL. P. I, c. 3, § 20, p. 121. seqq. Et, qui arctiori duntaxat vinculo materiam cum deo coniunctam esse ex Thaletis sententia statuit, CELEBER. BRVCK. l. c.

mur disputationem: vt primo Thalem ostendamus ab vna sibique in omnibus partibus suis simili materia vniuersi mundi deduxisse generationem: deinde eandem hanc primam materiam in minima indiuiduaque corpuscula diuisam eum credidisse doceamur: post vero ipsas primae materiae partes sensu & intelligentia perfusas animatasque esse: quarto denique loco, Thaletis & Heracliti rationem comparemus, ac vtrumque, si summam rei spectes, monstremus, idem fere seculum videri, hac vna constituta differentia, vti, quam materiam Thales aqueae naturae esse voluit, eam Heraclitus ad ignem propius dixerit accedere.

§. IV.

Et ad primum locum quod attinet, omnino iste ab aliis iam ita pertractatus est, vt, si vlla plerisque veterum constare debet auctoritas, omnis Thaletis defensio frustra suscepta esse, neque aliter de illius ratione statui vllo pacto posse videatur, nisi ab vna eum materia totius mundi omniumque rerum deriuasse ortum, nec vllum agnouisse intelligens principium, quod quidem ab ipsa prima materia diuersum separatumque sit (m). Supersedere igitur tota hac probatione possemus, nisi, eo quidem consilio, quo orationi nostrae sua constet perpetuitas, potiora

 huius

(m) Conf. BAYL. DICT. HIST. CRIT. voce, THALES, not. A & D. voce ANAXAGORAS, not. D.

huius rei argumenta paucis indicanda nobis essent. Aristoteles igitur primus in aciem prodeat, quo quidem, vt mea fert sententia, antiquorum nemo clarius aut magis perspicue exposuit de Thaletis disciplina. Explicaturus autem Aristoteles veterum philosophorum de initiis rerum opiniones (n), ordinem temporum seruans, *antiquissimos quidem eorum*, inquit, *qui primi philosophati sint, sola illa existimasse rerum omnium principia, quae in materiae specie sunt:* τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνον ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων. *Ex quo enim omnia entia sint, & ad quod vltimum corrumpantur, substantia quidem permanente, mutatis quamquam passionibus, hoc elementum, & hoc omnium rerum eos habuisse principium: oportere enim aliquam naturam, aut vnam aut plures, esse, e quibus caetera fiant, illa conseruata: non inter omnes autem illud quidem conuenire, vnane, an plures huiusmodi sint substantiae, aut qualis ea sit? Thalem, qui sit princeps huius philosophiae, aquam dixisse esse illud principium; Anaximenem autem & Diogenem aëra; Hippasum Metapontinum & Heraclitum Ephesium, ignem: Empedoclem vero plura statuisse eiusmodi principia; etenim coniunctis tribus illis quartum, nempe terram, addidisse: neque tamen horum quemquam de alio quodam incorporali atque intelligenti principio, quod sit a prima materia diuersum, fuisse sollicitum, vt qui vnis istis primae materiae elementis fuerint*

(n) ARISTOT. Metaphys. L. I, c. 3.

fuerint contenti: donec tandem posteriores re ipsa atque ratione coacti vlterius quaererent, quae sit causa motionis atque mutationis in elementis: quam quidem quaestionem primum Anaxagoram, aut fortasse Hermotimum Clazomenium instituisse. Eandem fere disputationem Aristoteles alio loco suscipiens (o), eos reprehendit, qui nonnisi vnam statuissent materiam rerum principium, vt aquam, aut aërem &c. Quibus quidem verbis Thalem rursus, quamuis eum non nominet Aristoteles, aperte peti in aprico est. Sed fortasse ipsa huius orationis apud Aristotelem continuatio aliam nos ei subiicere vim & interpretationem cogit? fortasse hi ipsi Ionici philosophi ii sunt, quos necessitate adactos esse ipse Aristoteles perhibet, ad vlterius quaerendum, aliudque adsciscendum, praeter primam materiam, principium, quod sit motus causa: omnisque Ionicorum culpa in eo versatur, quod obscure tantum tecteque de incorporali quadam natura cogitauerint, id quod Anaxagoras contra φανερῶς fecit (p)? Tam est acuta subtilisque haec interpretatio, tamque digna summo ingenio ILLVSTRIS auctoris sui, vt audax fortasse immodestusue videar, qui discedere ab ista sustineam. Sed pace magni viri, qui summa humanitate exaequat ingenii singulare acumen, facile mihi licere confido, vt eam,

(o) l. c. cap. 7.
(p) Conf. MOSHEM ad CVDWORTH. p. 122. seq.

quae mihi in animo haeret, dubitationem, ea qua par eſt verecundia, paucis exponam. Atque primum quidem illud haud ſatis intelligo, qua ratione, quaue cauſa potuiſſet Ariſtoteles peculiare quoddam ab aliisque philoſophis disſentiens genus iſtorum conſtituere, qui, neglecto plane incorporali principio, ex vna materia totius mundi generationem intelligi voluerint; ſi quidem ad hos ipſos ea pertineret Ariſtotelis adſeueratio, coactos nimirum eos fuiſſe, aliud principium, praeter materiam, quaerere? Quî, quaeſo, opponi aliis, mentis effectionem adſtruentibus, ab Ariſtotele iidem potuiſſent? Quî dici illi poſſent mentis rationem neglexiſſe, quam ipſi, quamuis obſcure, probaſſent tamen? Neque profecto vllo Ariſtoteles pacto conſtare ſibi, nec aliquis in vniuerſa diſputationis perpetuitate ſenſus ineſſe poſſit. Quo deinde iure, quaue conſtantia Ariſtoteles pluribus, vno, locis, hos ipſos philoſophos tam grauiter neglectae purae mentis accuſare, erroriſque eos ob hanc vnam maxime cauſam poſtulare potuiſſet, quod mundi ortum ex vna materia, nulla interueniente mentis effectione, explicare eſſent conati? ſi quidem hoc loco aliquas ipſos huic menti partes obſcure ſaltem dediſſe, ipſe adſeueraret. Conſideremus modo, quam iratus ſit Ariſtoteles his ipſis philoſophis paullo poſt (q): inepte ille quidem, ſi vel ipſo fatente, iidem rationi cedentes principium eius-

(q) l. c. cap. 7.

eiusmodi corpore vacans & quaesiuerint & receperint in disciplinam suam. Quid denique ea sibi vellet disputatio, quam alio loco idem Aristoteles de animae natura instituit (r)? *eos*, inquiens, *qui praeter materiae elementa purae etiam menti a materia diuersae aliquid reliquerint loci, distinxisse animam, quae composita sit ex elementis a mente siue intellectu, quam rationem Anaxagoras secutus sit & Plato: qui contra nulla agnouerint rerum initia, praeter vnam materiam, iis & animam atque intellectum idem valere; eam etenim, qua prima materia sit praedita, mouendi vim producere in animalibus & sensum & intelligentiam.* In horum autem numero, qui ita sentiant, Thalem nominatim refert Aristoteles. Vides, nil Thalem ex Aristotelis iudicio sollicitum fuisse de alia quadam motionis causa, praeter vnas materiae vires, vt qui propterea & ipsam intelligendi facultatem in prima materia versari voluerit. Atqui simili constantique modo Aristoteles, quotiescunque in antiquos istos physicos sermo incidit. His cunctis de causis animum meum inducere non possum, vt Aristotelem dixisse credam, hos ipsos Ionicos, necessitate & ratione coactos, de alio quodam intelligenti principio, a materia diuerso, tandem cogitasse. Procedente tempore, cum stolida ista Ionicorum ratio acutos quosdam viros offenderet; alii nimirum, non ipsi illi priores Ionici, adducti sunt, vt alterum quod-

(r) de Anim. L. I. c. 2.

quoddam inquirerent principium materiae iungendum: quod quidem primus Anaxagoras φανερῶς, *aperte*, fecit. Quod autem Ariſtoteles his ipſis verbis ſignificare videtur, ante Anaxagoram ab aliis iam, quamuis obſcure, id factum eſſe; in his quidem Hermotimum Clazomenium fortaſſe complectitur, cuius expreſſam hoc loco mentionem iniicit: fortaſſe & alios, quorum nomina non indicat.

§. V.

Ariſtotelis igitur ſi ſtandum eſt auctoritate, perſpicue ſatis eam, quam dixi, patere arbitror Thaletis ſententiam. De ipſa Ariſtotelis fide iam non quaero: paullo ante hac de re mei aperui animi ſenſus. Vnum contendo: quantum Ariſtoteli tribues fidei, opiniones veterum recenſenti, tantum veritatis & in eorum explicatione ineſſe ſtatuas neceſſe eſt, qui Thalem nonniſi vnum poſuiſſe rerum omnium principium adſeuerant. Durum certe mihi videtur, hominem, qui in hac ipſa diſputatione Anaximenis, Anaximandri, Heracliti, aliorumque ſententias vere enarrauit, quod poſtea aparebit, in vno Thalete falſitatis aut mendacii accuſare: cum praeſertim & alia, eaque haud leuia huius rei argumenta praeſto ſint. Neque enim vnus Ariſtoteles eſt, qui omnem ſimplicis alicuius mentis a prima materia diuerſae effectionem ignoraſſe Thalem tradat; iisdem enim fere verbis AVGVSTINVS de Thalete diſputans: *Aquam puta-*

putauit Thales, inquit, *rerum esse principium, & hinc omnia elementa mundi ipsumque mundum, & quae in eo gignuntur, existere. Nil autem huic operi, quod mundo considerato tam admirabile adspicimus, ex diuina mente praeposuit* (s). Quibus verbis quid adhuc clarius ad confirmandum Aristotelis iudicium possit requiri, non sane video. Simili modo de Thaletis disciplina pronuntiant CLEMENS ALEXANDRINVS & EVSEBIVS (t). Neque temere credam, irridendorum philosophorum studio ecclesiae patres istos adductos ita peruerse exposuisse de Thaletis disciplina; plus enim, quam par est, Augustinus maxime, in eo elaborauerunt nonnunquam, vt philosophorum decreta, quacunque fieri posset ratione, cum sacrae scripturae conciliarent oraculis. Quo loco diffiteri non possum, eorum mihi minus probari commentatorum explicationem, qui Thalem putant, cum aquam omnium rerum diceret principium, ad vnius terrae nostrae generationem respexisse: ita quidem, vt nihil obstet, quo minus reliquorum corporum coelestium alia sint ex mente Thaletis principia (u). Haec enim sententia cum vllo veterum scriptorum conciliari nullo pacto potest: quos vna omnes constantique voce ita enarrare Thaletis rationem, vt secundum eum

(s) AVGVST. de ciuit. D. L. VIII. c. 2. T. V. oper. p. m. 433. Edit. Basileens.

(t) Conf. MOSHEM. ad CVDW. p. 123. not. 8.

(u) BRVCKERVS l. c. p. 466.

eum aqua sit totius naturae principium, apparet. Neque etiam excusationis aliquid inde redundat in Thaletem, quod, qua vsus est, vox ἀρχὴ a Cicerone, *initium*, translata sit, quae vox caussam, vt dicunt, materialem, non vero effectionem significet (x). Promiscue enim haud raro vsurpantur probatis latinae linguae auctoribus voces *initium* & *principium:* atque ipse adeo Cicero, alio loco Thaletis sententiam exponens, aquam eum vocasse dicit *principium* omnium rerum: *Tantum*, inquiens, *de* PRINCIPIIS *rerum, e quibus omnia constant, videamus, quem probet* (sapiens): *est enim inter magnos homines summa dissensio. Princeps Thales ex aqua dixit constare omnia &c.* (y).

§. VI.

Sed dispiciamus deinde, qualis fuerit ANAXIMANDRI, Thaletis discipuli, atque, qui illum audiuit, ANAXIMENIS, physica ratio. Horum enim vtriusque cum paullo apertior sit sententia, aliquam ea nobis videtur, de Thaletis mente probabili ratione coniiciendi, munire viam. Ignorasse vero omnino istos homines diuinam mentem, quae a prima materia sit diuersa, certum fere euictumque puto: atque aliter hac de re vti statuamus, ne fieri quidem potest, nisi apertissimis veterum testimoniis vim afferre, putidisque ea peruertere velimus explicationibus.

(x) BRVCK. l. c.
(y) CIC. QQ. AA. L. IV. c. 36.

bus. Neque multas conquiramus auctoritates necesse est; vnus enim Plutarchus hac in parte tam est clarus, vt possit instar omnium esse: Ἀναξίμανδρος, inquit, φησὶ τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον. ἐκ γὰρ τούτου πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς τοῦτο φθείρεσθαι - - - - ἁμαρτάνει οὖν, τὴν μὲν ὕλην ἀποφαινόμενος, τὸ δὲ ποιοῦν αἴτιον ἀναιρῶν. τὸ γὰρ ἄπειρον οὐδὲν ἄλλο, ἢ ὕλη ἐστίν. *Anaximander infinitatem naturae dicit rerum principium esse: ex hac enim omnia gigni, & in hanc eandem omnia interire - - - - peccat igitur, materiam quidem indicans, effectricem vero causam tollens: nihil enim infinitas naturae aliud est, nisi materia* (z). Item de Anaximene: Ἀναξιμένης ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο· ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι - - - - ἁμαρτάνει δὲ καὶ οὗτος, ἐξ ἁπλοῦ καὶ μονοειδοῦς ἀέρος δοκῶν συνεστάναι τὰ ζῶα. ἀδύνατον γὰρ ἀρχὴν μίαν τὴν ὕλην τῶν ὄντων, ἐξ ἧς τὰ πάντα ὑποστῆναι, ἀλλὰ καὶ τὸ ποιοῦν αἴτιον χρὴ ὑποτιθέναι. *Anaximenes principium rerum aëra statuit: ex hoc enim omnia existere, & in eundem rursus dissolui. - - - - Sed errat & hic, ex simplici, putans, atque in omnibus suis partibus sibimet simili aëre animalia esse concreta. Fieri enim non potest, vt vna materia sit rerum principium, ex qua cuncta subsistant; sed & causam effectricem oportet*

(z) Plutarch. de Pl. Ph. L. I. c. 3. T. I. oper. p. m. 262.

tet subiici (a). Conferas iam, si placet, haec scholae Ionicae doctorum decreta cum iis, quae supra ex Aristotele a nobis de his ipsis sunt relata; atque, cum optima fide Aristotelem videas Anaximandri Anaximenisque sententias exposuisse, cur, quin idem in Thalete factum dubites, nulla videtur ratio adesse. Plura vero si desideres veterum loca, ex quibus eadem ipsa Anaximandrum atque Anaximenem docuisse intelligatur, quae Plutarchus illis tribuit, locupletem tibi auctoritatum messem ALDOBRANDINVS exhibebit & MENAGIVS (b). Omnium vero diligentissime hac in parte versatus est RAD. CVDWORTHVS (c), quo lectorem, ne actum agere videamur, ablegamus. Affert hoc loco excusationem Anaximenis STANLEIVS, Stobaei auctoritate nixus, atque illum putat, quamuis & Deum ipsum aëra dixerit, non sustulisse tamen omnino incorporalem aliquam diuinam naturam; sed haec accipienda duntaxat esse de viribus diuinis, elementa siue corpora penetrantibus (d). Sed iam b. GOTTOFREDVS OLEARIVS in notis ad hunc Stanleii locum, hanc quidem excusationem probabilem non esse, recte obseruauit: *quia, si Anaximenes aëra omnino a Deo distinxisset, ille ipse aër in numero earum rerum, quas a Deo generatas esse*

(a) PLVTARCH. l. c.
(b) ad DIOG. LAERT. L. II. segm. I. & III.
(c) SYST. INTELLECT. p. 122. seqq.
(d) STANL. Hist. phil. P. II. c. 2. p. 99.

esse Anaximenes dixerat, omitti non potuisset: stare igitur Anaximenis causam cum causa Anaximandri, atque illum in hoc vno longius progressum esse, quod definiuerit, quid sit ista infinitas naturae, quam Anaximander rerum omnium principium esse decreuerat. Et ad hoc postremum viri egregii iudicium quod attinet, praeter modo laudatum Plutarchi locum, perspicue illud confirmatur a Diogene Laertio, qui cum Anaximenis rationem ita exponat: οὗτος ἀρχὴν ἀέρα εἶπε καὶ τὸ ἄπειρον (e); omnino haec vis subiicienda est his verbis: *Hic initium rerum dixit esse aëra, atque hoc illud infinitum esse* (*Anaximandri*), id quod praeclare vener. D. Heumannus monuit (f). Hanc vero interpretationem ignorantes, eruditi viri CASAVBONVS atque WOLFIVS, haerent in explicando Laertii loco (g). Ex his vero illud quoque intelligitur, minus recte AVGVSTINVM Anaximandri mentem assecutum esse, quem toto genere immutasse Thaletis rationem putat: *Huic* (Thaleti) *successit Anaximander*, inquiens, *eius auditor, mutauitque de rerum natura opinionem: non enim ex vna re, sicut Thales ex humore, sed ex*

(e) DIOG. l. c. segm. 3.

(f) in ACT. PHIL. T. III. conf. BRVCK. In den Fragen aus der philosoph. Hist. T. I. L. III. C. I. Q. 10. not. l.

(g) ad DIOG. l. c. WOLF. ad ORIG. PHIL. c. 7. p. 61.

ex suis propriis principiis quasque res nasci putauit, quae rerum principia singularum esse credidit infinita (h). Facile enim aparet, Anaximandri sententiam ab Augustino quodammodo ad Anaxagorae accommodatam esse placita. Nam quod ad elementa siue initia rerum attinet, ista, quam Augustinus exhibet, Anaximandri disciplina plane aliena est a reliquorum narratione auctorum, qui non quasque res ex suis propriis principiis deriuasse Anaximandrum, aut singularum rerum principia infinita putasse, tradunt; sed primam vniuersamque omnium rerum materiam vocasse τὸ ἄπειρον: neque in vlla alia re discrepasse a Thalete atque Anaximene, nisi quod, quale sit istud infinitum, aqua, an aër? non definiuerit.

§. VII.

Neque tamen corpora duntaxat, illamque mundi partem, quae in sensus nostros incurrit, vterque istorum e prima generatam esse materia putabant; sed ipsorum iam deorum ortum vnius tribuebant materiae actionj. Quae quidem res nec coniectura continetur, nec ex reliquis illorum decretis argumentatione forsitan nuda concluditur. Sunt enim satis expressa veterum testimonia, quae dubitationi nihil loci relinquunt. Ita CICERO de Anaximandro: *Anaximandri opinio est natiuos esse deos, longis interuallis orien-*

(h) de C. D. L. VIII. c. 2. T. VI. op. p. 433.

orientes occidentesque (i). Item de Anaximene: *Anaximenes aëra Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum & infinitum & semper in motu* (k). Atque clarius etiam de Anaximene quidem ORIGENIS PHILOSOPHVMENA: Ἀναξιμένης - - - - ἀέρα ἄπειρον ἔφη τὴν ἀρχὴν εἶναι, ἐξ οὗ τὰ γινόμενα, τὰ γεγονότα, καὶ τὰ ἐσόμενα, καὶ θεοὺς καὶ θεῖα γίνεσθαι. *Anaximenes infinitum aëra esse principium contendit: inde & quae sunt, quae fuerunt, quaeque futura sunt, sicut & deos & diuina existere* (l). Quo eodem sensu Anaximenes & animam nostram affirmat nil nisi aërem esse: οἷον ἡ ψυχὴ ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα, συγκρατεῖ ἡμᾶς· καὶ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα καὶ ἀὴρ περιέχει. λέγεται δὲ συνωνύμως ἀὴρ καὶ πνεῦμα. *Quemadmodum & anima nostra, quae aër est, nos continet: atque vniuersum mundum spiritus & aër complectitur: idem vero valent spiritus & aër* (m). Ex quibus Plutarchi verbis eundem aëra discimus fusum per vniuersam rerum naturam, vitae & sensationis & motus omnis caussam existere. Occurrit autem hoc loco eadem cautio, quam aliquoties iam indicauimus, tantum inesse in his interpretationibus probabilitatis; quantum veterum monumentis fidei tribuendum esse putas. Quocirca arrogans profecto & immodestus futurus esset, qui ita explora-

(i) CIC. de N. D. L. I. c. 10.
(k) CIC. l. c.
(l) C. 7. p. 61.
(m) PLVTARCH. de Pl. Ph. L. c.

ploratam se habere antiquissimorum philosophorum rationem iactaret, vt nullo pacto aliter statuisse istos viros fieri queat. Statuerunt sane hoc modo, si veteres auctores, quorum ad nos peruenerunt monumenta, vere & candide nobis eorum sententias exposuerunt: sed quis est, qui hoc praestare audebit? Verumtamen vtimur omnes istis antiquitatis monumentis, quandoquidem meliora non habemus: disputamus ex iis de sententiis philosophorum prisci aeui: atque inest in ea disputatione, nescio quis, voluptatis suauissimus sensus, quo ducimur impellimurque ad perscrutanda, vt regnorum imperiorumque fata & vicissitudines, sic & placita sapientiamque canae vetustatis: malumusque omnes aliquid, quamuis cum multiplici errandi periculo res sit coniuncta, quam plane nihil dicere. Neque caret istud studium suo fructu, dummodo recte prudenterque veterum sapientium decretis vti didicerimus. In hoc igitur litterarum genere hanc vnam mihi legem ipse scripsi, vt eam interpretationem probandam sequendamque mihi statuerem, quae non vnius quidem vel alterius: sed omnium vetustatis auctorum coniunctis vnàque consideratis testimoniis, quam possit fieri, maxime congruat. Doctiores meliora scire, facile & credo & patior: neque indignabor, si quis meas coniecturas respuere, tamquam minus probabiles, consultum duxerit. Illud tamen plane mihi persuasum est, multo minus probabiles interpretationes esse omnes,

mnes, quae aut veterum ſcriptorum teſtimoniis deſtituuntur, aut iis omnino repugnant. Hac ego lege ductus, fieri vix poſſe arbitror, niſi totius antiquitatis conſenſui, conſtantique memoriae apertam inferre velimus iniuriam, quin Anaximandrum Anaximenemque ſtatuamus vnam modo materiam probaſſe principium omnium rerum, remota in vniuerſum neglectaque ea mente, quae quidem a prima iſta materia diuerſi quid aut ſeparati ſit. Pauca ſunt, quae eruditiſſimi quidam viri, Anaximandri Anaximenisque purgandi cauſa, in medium attulerunt. Ac de Anaximandro quidem primum iſtud argumentum omittendum eſſe puto, quod a Thaletis ratione petitur, quem cum mentem a prima materia diuerſam ſtatuiſſe arbitrantur, nec Anaximandrum eam ipſam mentem repudiaſſe, inde concludunt. Quid vero, ſi ne Thales quidem probarit eiusmodi mentem? Hoc enim ipſum eſt, quod in controuerſiam vocatur. Relinquamus igitur tantisper in medio, quae dubia ſunt, & vniuerſam potius Ionicae philoſophiae ambitum complectamur, vt aliquam inueſtigemus viam in concordiam redigendi aptaque conciliandi compoſitione, quidquid veteres de ea ſcriptum nobis reliquerunt. Maius fortaſſe pondus habet, quod ex Hermia (n) affertur, fuiſſe ſecundum Anaximandrum, τȣ̃ ὑγρȣ̃ πρεσβυτέραν ἀρχὴν, τὴν ἀΐδιον

(n) In Irriſ. gentil. conf. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 128.

ἀΐδιον κίνησιν, *principium aliquod antiquius humido, nimirum aeternam motionem.* Sed nihil haec probant, nisi prius efficiatur, idem esse τὸ ὑγρὸν, *humidum*, quod τὸ ἄπειρον, *infinitas naturae*, seu infinita materia: tunc enim suspicari demum poterimus, induxisse Anaximandrum praeter τὸ ἄπειρον aliam quandam intelligentem naturam. Quid, si dicam, τὸ ὑγρὸν non ipsum τὸ ἄπειρον, sed affectionem modo atque temperamentum esse τοῦ ἀπείρου, quo quidem hoc, quod ad partes suas attinet in aeterno motu positum, manifestet sese atque conspiciendum praebeat. Haec certe Anaximenis ratio fuit, qui de infinito aëre suo, ὅταν μὲν, inquit, ὁ ὁμαλώτατος ᾖ, ὄψει ἄδηλον εἶναι, δηλοῦσθαι δὲ τῷ ψυχρῷ, καὶ τῷ θερμῷ, καὶ τῷ νοτερῷ, καὶ τῷ κινουμένῳ κινεῖσθαι δὲ ἀεί. *Quam maxime aequabilis cum sit, effugere oculorum sensum: manifestari autem frigido & calido, tum humiditate & motu: moueri autem semper* (o). Atqui Anaximenis aërem nihil aliud esse, quam infinitum illud Anaximandri, apud plerosque in confesso est. Hinc palam est, ni fallor, nihil praesidii Anaximandri caussam in Hermiae verbis inuenire. Omnino etenim aliud quoddam principium, antiquius humido siue crassiori materia, exstitit, ipsum nimirum τὸ ἄπειρον seu subtilissima illa prima materia; cuius partes ab aeterno mouentur. Sed adsunt alia, eaque expressiora huius rei indicia, ex

(o) ORIG. PHILOS. c. 7. p. 62.

ex ipsius Anaximandri placitis depromta. Considereς, quaeso, eam Anaximandri cosmogoniam, quam EVSEBIVS ex deperdito Plutarchi Stromatum libro exhibet (p), in qua ita loquens inducitur Anaximander: τὸ ἐκ τῦ ἀϊδίυ γόνιμον θερμῦ τε κ̥ ψυχρῦ κατὰ τὴν γένεσιν τῦδε τῦ κόσμυ ἀποκριθῆναι. *Foecundas atque genitales calidi frigidique partes circa mundi huius procreationem ab omni aeternitate sepositas fuisse.* Caue putes, calidum atque frigidum duas separatasque naturas Anaximandro fuisse: affectio vtrumque est atque temperamentum vnius infinitatis naturae. Idem enim paullo ante: τὸ ἄπειρον, inquit, τὴν πᾶσαν αἰτίαν ἔχειν τῆς τῦ πάντος γενέσεως. *Causam omnium omnino rerum vni duntaxat infinito adsignandam esse.* Quod & IRENAEVS confirmat: *Anaximander*, inquiens, *hoc quod immensum est omnium initium subiecit, seminaliter habens in semetipso omnium genesin, ex quo immensos mundos constare ait* (pp). Iam vero, quis ignorat, τὸ ψυχρὸν, *frigidum*, & τὸ ὑγρὸν, *humidum*, promiscue haud raro vsurpari in veterum philosophica ratione, vel certe vehementer cognata esse? vt modo ex Pseudo-Origene Anaximenem audiuimus iungentem τὸ ψυχρὸν & τὸ νότερον, siue τὸ ὑγρὸν. Habes itaque illud ὑγρὸν, quod est apud Hermiam. ARISTOTELES denique ab Anaximandri Patro-

(p) DE PRAEPAR. EVANG. L. I. c. 8.
(pp) L. II. c. 19. conf. IOH. ALB. FABRICIVS ad SEXT. EM. p. 135.

tronis testis excitatur, qui ex mente Anaximandri: τὸ ἄπειρον, inquit, περιέχειν ἅπαντα, καὶ πάντα κυβερνᾷν. *Infinitum omnia continere, & gubernare omnia* (q). Demus iam eruditissimo BRVCKERO, minus recte SIMPLICIVM atque PHILOPONVM haec verba ad coecum brutae materiae impetum traduxisse (r): Concedamus, maius quid, atque excellentius in hac inesse Anaximandri sententia; qui tamen mens, quae sit separata a prima materia, effici inde aut possit aut debeat, me quidem fateor haud intelligere. Ipsum infinitum dicitur continere & gubernare omnia: quid iam est infinitum? PLVTARCHVS respondeat: τὸ ἄπειρον οὐδὲν ἄλλον, ἢ ὕλη ἐστίν. *Infinitum nihil aliud est, nisi materia* (s). Nec inuito istuc quidem cel. BRVCKERO, qui egregius Vir infinitum Anaximandri, esse aërem Anaximenis, ipse contendit (t). Confirmatur haec explicatio auctoritate SEXTI EMPYRICI, Ἀναξίμανδρος, inquit, (ἀπέλιπε τὴν γένεσιν) ἐξ ἀέρος. *Anaximander* (rerum ortum admisit) *ex aëre* (tt). Ipse ergo aër, vna sibique similis natura, cuncta gubernat. Recordare Stoicos, igni suo artificiali vniuersam rerum naturam administrari, statuentes: num quis inde naturam aliquam siue mentem

(q) PHYSIC. L. 3. c. 4.
(r) vid. CVDWORTH. l. c. p. 125. seq.
(s) l. c.
(t) l. c. §. 17. p. 489.
(tt) Aduers. Mathem. L. X. sect. 313.

mentem, quae diuersa sit ab ipso isto igni, exsculpit? Quid igitur est, quod in Anaximandri disciplina rationes aliter subducere nos oporteat? Cum praesertim vna atque constans veterum vox sit, vnam causam, vnum rerum principium, a quo cuncta proficiscantur, Anaximandro placuisse. Relinque istam separatae mentis opinionem; eam finge rationem infiniti aëris, ut ipse possit cuncta gubernare; & habebis, quo consentienti vetustatis memoriae satisfacias: quod quale sit, postea videbimus. Veniamus iam ad Anaximenem. Plane hoc loco contra sese ipse pugnat Celeber. BRVCKERVS. Coniecturas affert ex LACTANTIO (u), simili modo Anaximenem de infinito aëre statuisse, vt Cleanthes Stoicus de aethere. Sit sane: quid tandem inde efficiat quis? mentemne diuinam diuersam esse naturam ab ipso aëre? Stoici igitur crediderunt, non ipsum aethera siue diuinum ignem sentire & intelligere: sed inhabitari duntaxat a mente diuina diuersae plane naturae? Atqui nec ipse venerandus vir ita interpretatus est Stoicorum sententias (w). Ipse aether sentit: idem ipse intelligit, nec est praeterea alia quaedam diuinior atque interior natura, quae in eo habitet. Iam vero argumentum concludas: nulla est diuina mens in Anaximenis ratione, quae quidem

(u) Vid. LACTANT. de falsa Relig. L. I. c. 5. p. m. 37.
(w) l. c. P. II. L. II. c. 9. §. 7. num. 6. seq. p. 923. seq.

ab aëre differat, aut interior illo vel magis diuina censenda sit: si quid diuini inest in aëre; affectio & temperamentum atque virtus ipsius aëris, non vero diuersi quid ab ipso aëre illud est putandum. Simili modo de DIOGENE APOLLONIATE statuendum esse, arbitror. Alienus plane, quod ad hunc attinet, sensus in loco quodam, qui est apud AVGVSTINVM, quaeri videtur. Hic enim, de priscis Ionicis disputans: *Diogenes*, inquit, ---- *aërem quidem dixit rerum esse materiam, de qua omnia fierent: sed eum esse compotem diuinae rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset* (x). Duas itaque putant in aëre inesse naturas, materiam atque mentem. Sed me huius argumenti connexionem haud intelligere, fateor. Quod si enim, quia Augustinus, ex Diogenis sententia aërem compotem esse diuinae rationis, testatur, inde consequi quispiam putet, duplicem in aëre versari naturam; nae is etiam duplicem naturam animae nostrae statuat necesse est, qui eam dicit rationis compotem esse. Stoici subtilissimum istum naturae ignem simili modo rationis compotem esse voluerunt: idem vero ignis omnino ipsis Deus est, neque duplicem naturam inde concludere cuiquam in mentem venit. Quid igitur? quid quaeso causae est, cur Augustini verba eo traducamus, vt Diogenem opinemur duplicem naturam statuisse? cum praesertim inuitis id fiat repugnantibusque reliquis auctoribus, qui omnino

(x) AVGVST. de C. D. L. VIII. C. 2, p. m. 432.

mnino ita interpretati sunt Diogenis sententiam, vt rationem atque intelligentiam nonnisi affectionem quandam atque virtutem ipsius aëris esse, apareat. Ita certe CICERONEM sensisse dubio caret, qui: *quid aër* inquit, *quo Diogenes Apolloniates vtitur Deo, quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* (y). Nec aliter ARISTOTELES: Διογένης δ' ὥσπερ καὶ ἕτεροί τινες ἀέρα τοῦτον οἰηθεὶς πάντων λεπτομερέστατον εἶναι καὶ ἀρχὴν. διὰ τοῦτο γινώσκειν τε καὶ κινεῖν τὴν ψυχὴν, ᾗ μὲν πρῶτόν ἐστι, καὶ ἐκ τούτου τὰ λοιπὰ γινώσκειν· ᾗ δὲ λεπτομερέστατον, κινητικὸν εἶναι. *Diogenes autem, sicut & alii quidam, aërem ipsum censuit subtilissimam istam substantiam atque principium omnium rerum esse. Idcirco cognoscere atque mouere animam dixit: cognoscere quidem, quatenus primum ens est, & ex hoc ipso eam caetera cognoscere: quatenus vero subtilissima substantia est, eatenus motiuum quid esse* (z). Qui locus plane notabilis est, eumque animaduerti velim lectoribus, vt qui vniuersam nobis Ionicorum videtur rationem recludere, qua isti in prima materia putarint versari & sensum & motionem. Accedit, quod non iam animos hominum modo, sed ipsos etiam deos suos priores isti Ionici ex ea, quam ponebant, prima materia, ortos esse censuerunt, id quod ex iis, quae adhuc dicta sunt, satis constat. Quis vero su-

(y) de N. D. L. I. c. 12.

(z) De Anim. L. I. c. 2. conf. de Diogene Baylius voc. Diog. Apol. not. B.

suspicari possit, si quidem, praeter primam materiam, mentem quandam iidem probassent, quae quamuis inhabitet animetque istam materiam, diuersae tamen naturae sit, diis atque hominum animis originem eos adsignaturos fuisse non ex ipsa mente, sed ex prima materia? Quis veterum ita locutus est? Omnes certe, qui vel leuissima mentis diuinae in rationibus suis reliquerunt vestigia, ex hac ipsa mente, nequaquam vero ex materia, deos atque animos, omnino quod ad horum nobilissimam partem attinet, natos esse contendebant. Ipsi Stoici, quamquam iis ipsa mens corporei quid erat, quod tamen, praeter subtilissimum istud corpus, crassiorem quandam ponebant materiam, propterea & diis & animis, neglecta crassiori materia, initium dederunt in subtiliori aethere, quem ipsi diuinum esse censebant. Teneamus igitur, totum istud mentis diuinae genus, quae quidem interior sit ipso aëre aut aqua, ab vniuersa priorum Ionicorum disciplina procul exulare, neque aliud vllum in eorum ratione totius naturae principium inesse, praeter vnam istam sibique in omnibus suis partibus similem materiam.

§. VIII.

Veterum iam testimoniis ad vnum fere omnium quid facturi essemus, si quidem Thalem velimus effectionem mentis non reliquisse modo, sed omnino ei in producendo mundo ali-

aliquas tribuisse partes? Tantus enim est illorum consensus, Anaxagoram principem ponentium, qui ad explicandam rerum generationem diuinam mentem a materia separatam introduxerit, vt qui vnius propemodum CICERONIS testimonium tot contrarias auctoritates sustinere possit, vix videam (a): taceo, istum Ciceronis locum deprauationis suspicione haud vacare (b). Qui ipsa priscorum auctorum cupit verba inspicere, BAYLIVM adeat (c): nobis in praesentia satis sit vnius DIOGENIS LAERTII adduxisse testimonium: Ἀναξάγορας πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησεν. *Anaxagoras primus materiae mentem praefecit* (d). Anaxagoram propterea νοῦν, *mentem*, esse cognominatum, ex PLVTARCHO discimus (e). Quo iure, quaeso, quaue ratione haec vna fere constantique voce ab antiquis esse possent dicta, si aliqua supremae mentis in Thaletis disciplina inesset significatio? Neque tamen Anaximandrum quis atque Anaximenem dicat Thaletis rationem corrupisse, quae ab Anaxagora tantum restituta sit atque repurgata. Non enim ad Thalem huius sententiae ab Anaxagora reuocatae originem refert Diogenes Laertius, quod omnino factum foret, si huius generis quid Thales docuisset: Sed ad LINVM, vetustissimum poetam

(a) CIC. de N. D. L. I. c. 10.
(b) Vid. BAYL. voc. ANAXAG. not. D.
(c) l. c. not. E. & F.
(d) L. II. segm. 6.
(e) In PERICLE T. II. oper. p. m. 111.

tam (f). Quocirca & ipse CICERO, cuius tamen verbis vel maxime confidunt Thaletis patroni, haud multo post, quam Thalem dixerat mentem aliquam diuinam statuisse, quae ex aqua cuncta fingeret, longe aliter, reliquis antiquitatis auctoribus plane assentiens, hac de re pronuntiat: *Anaxagoras*, inquiens, PRIMVS OMNIVM *rerum descriptionem & modum mentis infinitae vi ac ratione designari & confici voluit.* (g). Hunc igitur aut sui oblitum dicas necesse est, qui tam protulerit vehementer repugnantia: aut, quod probabilius mihi quidem videtur, toto genere diuersa ista mens putanda est, quae secundum Thaletis rationem ex aqua cuncta finxit, ab illa suprema mente, quam a prima materia distinctam vacantemque corpore, inter Graecos Anaxagoras princeps ad explicandam mundi generationem adhibuit. Sed de hoc quidem postea considerabimus: nunc tantum monendus lector videtur, reliquum illud apophthegmatum genus, quibus Thales vsus a DIOGENE LAERTIO dicitur, praeter causam ad interpretandam illius theologicam rationem transferri; cum, quod solemne in antiquis viris est, ab alio aliter eadem referri, atque etiam aliis adsignari consueuerint (h).

§. IX.

Haec igitur argumenta atque auctoritates veterum scriptorum cum per se satis magnam affe-

(f) L. c.

(g) L. c. cap. XI.

(h) Conf. BAYL. Voc. THALES. not. A.

afferunt verisimilitudinem, istam separatae mentis rationem, quae inhabitet duntaxat in materia, aut arctissime etiam cum ea coniuncta sit, repudiatam esse a Thalete; tum vero, si postea ostensum fuerit, ex caeteris auctorum locis longe aliud quid, quam eiusmodi effici separatam mentem, quid Thaletis patronis relinquatur praesidii, haud intelligo. Illud vero, quod Thalem diximus primam istam materiam in omnibus suis partibus sibimet similem statuisse, longiori probatione non eget. Simul enim admiseris laudatorum auctorum testimonia, de corporeis rerum omnium ex Thaletis sententia initiis; ac illud fatearis necesse est, vnius generis materiam, vnam nimirum aquam, esse primum istum fontem, ad quem reliqua elementa totiusque mundi ornatus ortum suum referant. Sed si magis illustria postulas veterum testimonia; accipe ARISTOTELIS verba, qui ex Thaletis discipulorumque eius sententia, τὸ ὅλον, inquit, τοῖς μορίοις ὁμοειδὲς εἶναι. *Totum & particulas eiusdem esse speciei* (i). Qua ratione autem expedierit Thales generationem naturae ab vna simplicique aqua, ex PSEVDO-ORIGENIS commentatione obscurum esse non potest. Hic enim: οὗτος (θάλης) ἔφη, ἀρχὴν τοῦ πάντος εἶναι καὶ τέλος τὸ ὕδωρ· ἐκ γὰρ αὐτοῦ τὰ πάντα συνίστασθαι, πηγνυμένου, καὶ πάλιν διανιεμένου, ἐπιφέρεσθαί τε αὐτῷ τὰ πάντα. *Hic* (Thales) *aquam*

(i) de Anim. L. I. c. 5.

aquam vniuersi initium & finem' statuit. Constare namque omnia ex hac densata, vel rursus extenuata, & in eam ferri omnia (k). Etenim, cum minima, ex quibus aquam istam constare statim videbimus, corpora accedendo propius se contingunt, aut refugiendo discedunt; nunc condensantur prima materia, nunc rarescit eadem: quarum mutationum prima crassiorem producit materiam: altera vero finem affert & interitum corporibus, cum resoluuntur ista in simpliciorem, vnde ortum traxerunt, materiam. Nec aliter Anaximenes: qui censuit, πυκνούμενον καὶ ἀραιούμενον (τὸν ἀέρα) διάφορον φαίνεσθαι. ὅταν δὲ εἰς τὸ ἀραιότερον διαχυθῇ, πῦρ γίνεσθαι, μέσως δὲ ἐπὰν εἰς ἀέρα πυκνούμενον ἐξ ἀέρος νέφος ἀποτελεσθῇ κατὰ τὴν πόλησιν, ἔτι δὲ μᾶλλον ὕδωρ, ἐπὶ πλεῖον πυκνωθέντα γῆν, καὶ εἰς τὸ μάλιστα πυκνώτατον λίθους. *Densatum & extenuatum aërem aliam atque aliam induere faciem. Cum dissolutus ad altiorem peruenerit gradum, producere ignem: ad mediocrem vero cum ad aërem densiorem, ex aëre effici nubem per errationem* (ita GRONOVIUS, sed, *per conuersionem*, credo, transferendum est): *cum adhuc magis, aquam: aucta vero hac constipatione, terram: &, quam fieri potest, densissima compage constituta, lapides* (l). En illustre istius, quem saepius inculcamus, argumentum consensus inter Ionicorum philosophorum placita. Quid est,

(k) C. I. p. 22. seq.
(l) PSEVDO-ORIGEN. C. 7. p. 62.

est, quod Thales aliter explicarit rationem suam? Cur Thalem fingamus reconditos habuisse sapientiae thesauros, quos ignorarint discipuli; cum illius tamen disciplina ex discipulorum disputationibus praeclare & possit aestimari, & ab antiquissimis historiae philosophicae scriptoribus omnino aestimata sit.

§. X.

Thales igitur, cum solam primam materiam rerum omnium agnouisset initium; noua hoc loco quaestio exoritur, vtrum perpetuitatem quasi quandam atque continuationem in ista inesse materia voluerit: an verò diuisam eam intellexerit in minimas indiuiduasque partes? Quae quidem quaestio faciliores habitura esset explicatus, si corpuscularis philosophiae a PHOENICIBVS dudum probatae paullo certiores, quam vnum POSIDONIVM, haberemus auctores. Neque enim nullius plane sunt momenti, quae contra Posidonii fidem THOMAS BVRNETIVS, atque ex eo BAYLIVS & BRVCKERVS, disputant (m). Illud tamen me, quod iidem isti eruditissimi viri corpuscularem rationem a Phoenicum ingenio atque aetate abhorrere opinantur, plane non mouet. Subtiles equidem istas disputationes, quas de motu vorticibusque minimorum corporum postea De-

(m) BAYL. voc. LEVCIPPVS. not. A. BRVCK. l. c. L. I. c. 6. §. 3. p. 231. seqq.

Democritus & Epicurus instituerunt, a Phoenicibus iam esse agitatas omnino vix probabile videatur. Verum, id modo si agitur, sitne prima materia vnum quoddam continuumque, quamquam subtilissimum corpus: an vero in minimas seperatasque diuidenda partes; longe aliter pronuntiandum esse putem. Ista enim vnius omnino perpetuaeque naturae ratio, quam recentiori memoria SPINOZA commentus est, tam est stolida, tamque auersa a recta ratione, atque ab ipso denique sensu, vt longe facilius primi philosophi mihi quidem videantur, in minima indiuiduaque primae materiae corpora potuisse, quam in vnam istam continuamque eiusdem materiae naturam incidere. Dicam, quod sentiam: non veteres modo Phoenices, sed & vetustissimos Graeciae philosophos omnes istam, quam posuerunt, primam materiam, minimis composuisse indiuiduisque partibus, vt credam, non certo equidem iudicio: coniectura tamen aliqua ducor fortasse haud improbabili. Quae enim ARISTOTELES de antiquissimorum disputat philosophorum opinione, qui illud quisque corpus statuerint principium omnium rerum esse, quod sit *μίκρο μερέςατον καὶ λεπτότατον*, *ex minimis compositum partibus subtilissimumque*, (n) ea Heraclitum non magis probant minimas admisisse materiae suae primae partes, quod ex his verbis recte, mea qui-

(n) ARIST. Metaph. L. I. c. 7.

quidem sententia, concludit b. OLEARIVS (o), quam reliquos, de quibus loquitur Aristoteles, philosophos in eadem fuisse sententia. In horum vero numero vel maxime Thalem esse referendum, patebit, si tertium caput METAPHYS. ARISTOTELIS cum capite septimo libuerit conferre. Atque haec quidem ratio non modo cognita atque probata veteribus philosophis: sed ita etiam communis vulgarisque videtur fuisse, vti vix quisquam in recensendis philosophorum sententiis operae pretium esse duxerit, eius aliquam iniicere mentionem; nisi quis cum eadem opiniones nonnullas coniunxerit, a reliquorum disciplina separatas. Cui rei ipse argumento esse potest Heraclitus. Hunc enim ignem quem adserebat esse principium vniuersi mundi, a minimis composuisse corpusculis, haud leuibus docuit OLEARIVS argumentis (p); neque tamen veterum quisquam propterea, nisi ὡς ἐν παρόδῳ, hoc Heracliti decretum commemorauit: neque enim inusitati quid in eo versabatur. Aut quis, quaeso, vetustiorum scriptorum, ANAXAGORAM primum reliquisse caeterorum philosophorum auctoritatem, dixit, quod in materia partes inesse arbitraretur? Non *partes* profecto: sed *similitudinem partium* in Anaxagorae notarunt disciplina; quod

(o) In Differtat. de princip. rerum ex mente Heracl. in STANLEII Hist. phil. p. 846.

(p) In duabus Differt. quae exstant in lat. translat. Hist. phil. Stanleii p. 839. seqq.

in hac: non autem in illa ratione ab aliis discesserat Anaxagoras philosophis. Quid? ipse iam PLATO: nonne σμικρότητα μορίων, *exilitatem partium*, materiae agnouit (q)? sed cuinam veterum in mentem venit, proprium inde priuatumque Platonis placitum exsculpere? simili ratione & PYTHAGORAM partes materiae minimas probasse, postea ostendemus: ad EMPEDOCLEM enim quod attinet, nullum plane, quin idem fecerit, est dubium. Atque vt paucis rem conficiamus; non vniuersis solum philosophis, qui de rerum generatione quaesiuerunt: sed ipsi THALETI discipulisque eius hanc disertis verbis tribuit ARISTOTELES sententiam, vt in prima, quam statuerunt materia, particulas quasdam versari sint arbitrati: putasse enim eos, inquit, τὸ ὅλον τοῖς μορίοις ὁμοειδὲς εἶναι. *Totum & PARTICVLAS eiusdem esse speciei* (r). Simili plane modo PLVTARCHVS de Thaletis discipulis: οἱ ἀπὸ θάλεω ---- παθητὰ σώματα καὶ τμητὰ εἰς ἄπειρον, ἢ τὰς ἀτόμους ἢ τὰ ἀμερῆ ἵστασθαι, καὶ μὴ εἰς ἄπειρον εἶναι τὴν τομήν. *Thaletis sectatores negant, in infinitum progredi sectionem eorum corporum, quae motibus sint obnoxia: sed subsistere in iis, quae indiuidua sunt, & atomi vocantur* (s). Adeo vulgaris ista fuit omnibusque philosophis communis corpuscularis philosophia: neque aliam vllam ob causam LEVCIP-

PVS

(q) PLATO in TIM. oper. p. m. 537.
(r) ARISTOT de ANIM. L. I. c. 5.
(s) de Plac. phil. L. I. c. 16. T. I. oper. p. m. 268.

PVS DEMOCRITVSque videntur huius disciplinae auctores principesque laudari, quam quod minimorum istorum corpusculorum figuram naturamque non similem, sed infinitam numero variamque statuerint, a qua figura, ordine ac situ atomorum omnis proficiscatur naturae varietas. Alii nimirum istas materiae primae partes aqueae naturae, alii aëreae, alii igneae volebant esse: atque hi ex condensatione & rarefactione istius materiae generationem rerum explicabant. Anaxagoras similares inesse in materia putabat partes. Pythagoreorum nonnulli, vt & Plato atque Aristoteles quatuor introduxerunt corporum minimorum genera. Ab his omnibus dissentientes Leucippus & Democritus, nec aliquod corpusculorum genus definientes, infinite variis ea figuris praedita esse, e diuersoque eorum temperamento, commistione atque situ omnem vniuersi mundi compagem pendere decernebant: quae quidem sola ratio propria istorum Eleaticorum philosophorum peculiarisque videatur. Ita certe totam rem ARISTOTELES expedit: *Eos* inquiens, *qui primam materiam vnius eiusdemque putarint naturae esse, atque ex eius variis affectionibus omnes reliquas res deduxerint;* istas arbitrari affectiones materiae esse *τὸ μανὸν καὶ τὸ πυκνὸν, rarum & densum: Leucippum contra & Democritum statuisse, differentiam minimorum corpusculorum, quae in figura, ordine ac situ eorum insit, esse causam, a qua reliqua proficiscantur corpora* (t). Ac ne ipsum

D 3 qui-

(t) METAPH. L. I. c. 4.

quidem atomorum nomen, quo vel maxime posteriori aetate haec a reliquis distinguebatur disciplina, primis Eleaticae scholae philosophis cognitum, sed ab Epicuro demum introductum a nonnullis creditur fuisse (u). Sed de toto hoc genere praecipue consuli meretur CVDWORTHVS, (w) & quae ILLVSTR. MOSHEMIVS ad istam Cudworthi disputationem eruditissime monuit.

§. XI.

De diis autem, qui iam tertius praecipuusque est disputationis nostrae locus: nihilne plane istis loci relictum in THALETIS schola fuit: Quidni? habuit THALES deos suos, aeque ac HOMERVS, ex aqua natos. Etenim videamus nunc, quid argumentis dandum sit iis, quae magna cura insignique eruditionis apparatu CVDWORTHVS (x) aliique nonnulli magnae existimationis viri (y) conquisiuerunt, vt Thalem probarent statuisse in cosmogonia sua mentis diuinae effectionem? Demus enim magnis his viris, non Thalem magis, quam priores Ionicos omnes, quamquam repudiarint mentis separatae rationem, ipsam tamen primam materiam animatam credidisse,

(u) GASSENDVS ad L. X. DIOG. LAERT. p. m. 160. seq.
(w) SYST. INTEL. P. I. c. 1. §. 6. seq. p. 9. seqq.
(x) l. c. p. 121.
(y) Conf. BRVCK. l. c. P. II. L. II. c. 1. §. 5. p. 466. seq.

disse, atque sensu rationeque praeditam. Hanc vnam si ad vniuersam Ionicorum disciplinam transferamus obseruationem, quam magnus MOSHEMIVS de Anaximandri ratione acutissime in medium attulit (z); via & ratio nobis inventa esse videatur, qua contrarias, vt videntur, repugnantesque veterum auctoritates in concordiam redigere, aptumque quoddam inde theologiae Ionicae corpus conficere possimus. Quod vt appareat, obseruandum est, primum ipsum THALEM minimis istis materiae primae partibus vim tribuisse mouendi pariter atque sentiendi. Clare id quidem ARISTOTELES (a): qui postquam praecipuas posuisset animae affectiones, motum scilicet atque sensum; ostendit deinceps, qua veterum quisque ratione aggressus sit animae naturam explicare. Hoc autem totum explicationis genus dicit referri ad eam, quam quisque posuit, elementorum rationem: *eos enim, qui praeter materiae elementa puram adhibuerint mentem ad generationem rerum exponendam, separasse animam, quae constet ex elementis, a mente, siue intellectu; ita enim Anaxagoram & Platonem philosophatos esse: quibus autem nulla sint rerum initia, praeter vnam primamque materiam, iis & animam atque intellectum vnum idemque esse; etenim eandem, qua ipsae se moueant materiae partes, vim, producere in animalibus & sensum & intelligentiam: hinc eos, qui in plu-*

(z) ad CVDWORTH. p. 128. n. 5.
(a) de ANIM. L. I. c. 2.

ra diuersaque genera tribuerint primam materiam plerosque has animae partes adsignasse, quae omnium videantur subtilissimae velocissimaeque: Democritum igitur dixisse, animam constare ex igneis corpusculis: alios composuisse tamen eandem ex omni elementorum genere, vt Empedoclem, qui in anima putarit inesse & ignem, & aërem & terram atque aquam: qui vero vno genere vnaque natura complexi sint primam materiam, eos arbitrari & animam esse ex hac vna materia: ὅσοι μίαν τινὰ λέγουσιν αἰτίαν καὶ στοιχεῖον ἕν, καὶ τὴν ψυχὴν ἓν τιθέασιν, οἷον πῦρ, ἢ ἀέρα, κ. τ. λ. In horum autem numero Aristoteles Thalem paullo ante nominatim retulerat, cui animam dicit nihil aliud esse, nisi vim istam mouendi, quae in prima insit materia, ideoque illum Magneti etiam tribuisse animam: ἔοικε δὲ θαλῆς κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβάνειν, εἴπερ τὸν λίθον ἔφη ψυχὴν ἔχειν, ὅτι τὸν σίδηρον κινεῖ. *Thales etiam videtur putasse, motiuum quoddam ipsam animam esse; siquidem dixit, lapidem habere animam, quia mouet ferrum.* Ista ipsa igitur mouendi vis, quae animam constituit, est sentiendi quoque & intelligendi principium; quandoquidem, vt modo idem Aristoteles praeceperat, Thaleti omnibusque, qui vnam materiam statuebant rerum omnium esse principium, anima & intellectus vnum idemque sunt. Neque in quibusdam duntaxat mundi partibus sensum intelligentiamque contineri Thales opinabatur: sed

ſed fuſam eam diſtributamque ſtatuit per vniuerſam naturam. Quod idem aperte rurſus ARISTOTELES (b): ἐν τῷ ὅλῳ δέ τινες αὐτὴν (ψυχὴν) μεμίχθαι φασίν. *Sunt, qui in toto vniuerſo permiſtam ipſam* (animam) *inquiunt eſſe.* His vero continuo Ariſtoteles Thalem annumerat: ὅθεν ἴσως, inquit, καὶ θαλῆς ᾠήθη πάντα πλήρη θεῶν εἶναι. *Quocirca forſitan & Thales omnia plena deorum eſſe putabat.* Quam vero ſine cauſa eruditiſſimi quidam viri, qui Thaletis cauſam defendunt (c), hoc vtantur Ariſtotelis loco, vt mentem quamdam diuinam a materia diuerſam in eius ineſſe diſciplina euincant, aparet. Nihil enim magis iſti aduerſatur defenſioni, quam haec ipſa verba Ariſtotelis: ex quibus, ſi quidem Ariſtotelis ſtandum eſt auctoritate, prorſus indubie intelligitur, nullam aliam Thalem agnouiſſe mentem, praeter affectionem quandam atque vim mouendi ſentiendique, quae ipſi ſit propria primae materiae.

§. XII.

Neque vero tum demum iſta ſentiendi intelligendique vis produci putanda eſt, cum quaedam primae materiae partes, decerptae quaſi & ſeparatae a reliqua mole, animum noſtrum efficiunt. In vniuerſa prima materia hanc in-

 eſſe

(b) l. c.
(c) Vid. IOH. CHRIST. WOLF. in not. ad ORIG. PHILOS. p. 23.

esse virtutem natiuam quasi & aeternam, cum ipsa satis clare indicat Aristotelis disputatio; tum vero aliae quaedam eaeque haud leues rationes. Nulla etenim accidit primae materiae mutatio, nulla conuersio, quando mens humana inde prodit. Ipsa prima materia inest in anima nostra: ipsa eadem sentit & intelligit, ipsaque per vniuersam rerum naturam fusa, mundi anima est. Atque eodem plane modo Anaximenes eundem aëra, quem principium naturae ponit, efficere statuit animam nostram, eundemque animae instar continere vniuersum mundum: id quod statim videbimus. Quid tandem est causae, quod sensus iste intelligentiaque natiua primae materiae non sit? cur in partibus demum sese exserat, quae tamen eiusdem omnino, ac totum, naturae sunt? Quid est aptius, quid conuenientius, quam, cum eadem aqua idemque aër sentiat & intelligat, quatenus inest in anima nostra, vt & eadem aqua siue aër sentiat per se, natiua sua vi & virtute? Quapropter Democritum quis regerere non possit, ex eadem Aristotelis disputatione, primae materiae, quatenus versatur in anima nostra, sentiendi vim dedisse, qui tamen eandem vim in vniuersa contineri prima materia non putarit. Neque enim anima nostra secundum Democritum eiusdem est naturae, ac vniuersa prima materia: quando ex infinita materiae mole similes quaedam colliguntur iunguntur que inter se partes igneae, naturae, tum vero anima nostra

ſtra demum gignitur. Atqui in Ionicorum diſciplina nulla eiusmodi ſimilium corpusculorum a reliquis ſeparatio, nulla congregatio in vnum, nulla mutatio primae materiae conſpicitur: ſed eadem illa prima materia ſentit & intelligit. Quamquam & hoc diſputari adhuc poſſit, an totum iſtud igneorum corpusculorum genus, prius etiam, quam animam noſtram efficiunt, animatum intelligentiaque praeditum eſſe, Democrito placuerit? PLVTARCHO certe auctore Democritus Deum vocauit: νȣ̃ν ἐμπυρειδῆ, τὴν τȣ̃ κόσμȣ ψυχὴν, *mentem igneam, eamque animam mundi* (d). Sed omittamus hanc diſputationis partem, quae quidem huius loci non eſt: illudque teneamus, cum eiusdem plane anima noſtra naturae ſit, atque vniuerſa prima materia, illaque & ſentiat & intelligat; fieri non poſſe, quin & ipſa haec prima materia ex Ionicorum ratione, ſenſus & intelligentiae particeps ſit. Neque iſtud quidem ficti quid putandum eſt, cuius nulla in Ionicorum decretis expreſſa veſtigia apareant. Recordare, quaeſo, illud Diogenis Apolloniatae placitum, quod ſupra iam (§. VII.) obſeruari iuſſimus: *prima materia ſentit & intelligit, quatenus prima eſt: mouet, quatenus eſt ſubtiliſſimum corpus.* Quam eleganter his verbis recluduntur Ionicae ſcholae ſenſus? quam amice eadem cum Ariſtotelis diſputatione conſpirant, quam modo de ipſo Thale-

(d) PLVTARCH. de PLAC. PHIL. L. I. c. 7. p. m. 266.

Thalete audiuimus? Accedit, quod vel maximum eſt, hac vna poſita explicatione omnem euaneſcere vetuſtiſſimorum auctorum in tradenda Thaletis ſententia diſſenſum, aptumque inde prodire diſciplinae corpus, vnde omnium fortaſſe, quae Ionicis, iſtis philoſophis tribuuntur, decretorum, ſine vlla cuiusquam auctoris injuria, expedita ratio reddi poſſit. Accipe igitur hanc theologiae Thaleticae formam. Ipſa prima materia, quatenus motu ſenſuque praedita intelligitur, eſt THALETIS ſupremus Deus, vnde, quod Ariſtoteles ſupra praeceperat, reliqua deorum cohors prodiit. Poſtea enim, quam magna diuinae iſtius aquae pars condenſata priuataque velociſſimo motu in craſſiorem materiam abiiſſet; reliquum ſubtiliſſimum diuinumque corpus animae inſtar permeat per tardam iſtam materiae molem: intentumque per vniuerſam rerum naturam animat cuncta, & ratione adminiſtrat mundi ornatum. Quam quidem Thaletis rationem, quomodo concinnius aperire lectoribus meis queam, quam ipſorum Ionicae ſcholae philoſophorum teſtimoniis, haud video. Reuocemus igitur nobis in memoriam Anaximenem, de quo iam ſupra PLVTARCHVS: Ἀναξιμένης ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφήνατο, ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, ϗ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι· οἷον ἡ ψυχή φησιν ἡ ἡμετέρα ἀὴρ οὖσα συγκρατεῖ ἡμᾶς, ϗ ὅλον τὸν κόσμον πνεῦμα ϗ ἀὴρ περιέχει, λέγεται δὲ συνωνύμως ἀὴρ

ϗ

καὶ πνεῦμα. *Anaximenes principium omnium rerum ſtatuit aërem eſſe, ex hoc omnia gigni, & in eundem rurſus interire: quemadmodum anima, inquit, noſtra, quae ex aëre conſtat, continet nos; ſic & vniuerſus mundus aëre & ſpiritu continetur: idem autem valent aër & ſpiritus* (e). En Ionicum philoſophum in hoc vno diſcrepantem a magiſtro, quod primam materiam putauit aëri ſimiliorem eſſe, quam aquae: deducentem vero ex iſta materia vniuerſam naturae generationem: retinentem nihilo ſecius diuinae iſtius naturae, quae ſimul prima materia eſt, magnam partem ad animandam digerendamque reliquam condenſatam materiam: atque conſtituentem denique ipſam animam noſtram quaſi partem auulſam decerptamque ex diuino aëre, ſiue prima materia. Diuinum enim iſtum aërem ex Anaximenis ſententia credi debere, cum ex eo ſatis clarum eſt, quod animam noſtram, atque ideo ſentientem intelligentemque naturam nil niſi aërem eſſe, atque aëre iſto totum mundum pari modo contineri ſtatuit, quo anima noſtra noſtrum continet corpus; tum vero, quod deos & diuina omnia ex aëre ſecundum Anaximenem conſtare dudum docuimus. Accedit, quod SEXTVS EMPYRICVS Diogenem Apolloniatem ita ſemper iungat Anaximeni, vt eandem vtrique ſententiam eum tribuiſſe plane apareat (ee). Diogenem

(e) PLVT. l. c. Cap. 3. p. 262.

(ee) Conf. PYRHON. HYPOT. L. III. ſect. 30. aduerſ. MATHEM. L. IX. ſect. 360.

genem vero quis dubitat aëra diuinum credidisse? Iam vero, quid praeterea requiras ad ea explicanda, quae de Thaletis sententia, quod ad mundi hominumque animam attinet, Aristoteles modo commemorauit? Neque ratio nunc quidem obscura esse potest in gratiam redigendi CICERONIS, non cum omni propemodum antiquitate modo, sed cum ipso se: vix enim adducor, vt eum credam in tribus fere lineis ipsum sua destruere dicta, atque eo sensu Thalem perhibere in sua cosmogonia mentis effectione esse vsum, quo postea Anaxagoram huius disciplinae principem tradit. Constat vtrique Ciceronis loco sua veritas: Anaxagoras enim puram mentem a prima materia omnino distinctam ad explicandam rerum naturalium generationem Graecorum primus adhibuit: Thales contra non bruto equidem impetu agitari materiam statuit, sed mente & ratione cuncta administrari; quamuis non distinguat mentem a materia aut interius quid esse putet, sed ipsi materiae vim & sentiendi & mouendi propriam natiuamque debere adsignari. Quo eodem consilio, Thalem vocasse Deum *νῦν τῦ κόσμυ*, *mundi mentem*, Plutarchus testatur (f): hoc est, eam primae materiae partem, quae in natiua sua subtilitate persistens, retento sensu & intelligentia, per reliquas fundatur mundi partes: Vnde & mundus ἔμψυ-χος,

(f) l. c. Cap. 7 p. 266.

χος, *animatus*, Thaleti creditus eſt (g). Illudque ipſum apophthegmatum genus, quod ſupra negauimus quidquam valere ad definienda Thaletis placita, nihil continet, quod ex hac ipſa ratione ſatis bene intelligi & explicari non poſſit, ſi vel maxime ea, vt a Thalete dicta omnino accipiantur. *Antiquiſſimum enim eorum omnium, quae ſunt, Deus eſt:* materia prima nimirum & Deus idem ſunt. *Mundus a Deo factus eſt*: primae materiae enim ea pars, quae ſubtilitatem ſuam retinuit, finxit mundum ex craſſiori materia. *Velociſſimum omnium mens eſt, tranſitque ea per vniuerſa:* Eſt enim mens puriſſima materiae pars, animae inſtar penetrans ſe per vniuerſam naturam &c. Plures vero deos omnium gentium more ſtatuiſſe Thalem profectos a prima materia, non ſolum Ariſtotelis verba ſupra prolata nos docent, ſed & CICERO idem confirmat: *Thales ſtatuit*, inquiens, *homines exiſtimare oportere*, *omnia quae cernuntur deorum eſſe plena* (h): eodemque prorſus modo DIOGENES LAERTIVS: τὸν κόσμον ἔμψυχον (ὑπεστήσατο θαλῆς) καὶ τῶν δαιμόνων πλήρη. *Mundum animatum eſſe* (ſtatuit Thales) *&* *daemonum plenum* (i). Quod qua ratione explicauerit Thales, ex iis, quae a nobis dicta ſunt, intellectu facile eſt. Quemadmodum enim anima noſtra decerpta quaedam

pars

(g) DIOG. LAERT. L. I. ſegm. 27.
(h) de LL. Libr. II. c. XI.
(i) L. I. ſegm. 27.

pars eſt ex vniuerſa diuina natura; eodem modo & in reliquis mundi partibus eiusmodi naturae verſantur natae a ſupremo deo, tamquam miniſtri adminiſtrationis huius vniuerſi.

§. XIII.

Hanc autem theologiae formam a primis Thaletis ſucceſſoribus ad Anaxagoram vsque integram fere ſeruatam eſſe, aparet. De ANAXIMENE quidem nil eſſe veriſimilius modo obſeruauimus, quam eodem, quo Thales, modo eum primam materiam animatam credidiſſe, vt qui ſimili plane ratione eam & mentis humanae fontem, & deorum initium, & mundi animam eſſe ſtatuerit. Ad ANAXIMANDRVM vero quod attinet, cum nulla plane veterum teſtimonia exſtent, quibus ille materiam primam ſenſu priuaſſe dicatur; non ſine veri ſpecie ſuſpicari poſſumus in hac eum, vt in reliquis, ſententia magiſtri decreta ſecutum eſſe. Inde enim omnis Anaximandri ratio ita poteſt explicari, vt praeclare cuncta conſentiant. Nam mundos ex infinita materia natos Anaximander deos dixit; quia praecipua nobiliſſimaque materiae pars, quae quidem natiuam ſuam puritatem retinuit, animae inſtar per vniuerſos mundos permeat: qua eadem vi & Stoici mundum affirmabant Deum eſſe. Neque locum iſtum Ariſtotelis, quo τὸ ἄπειρον πάντα κυβερνᾷν ex Anaximandri ſententia affirmatur, eò detorqueamus nunc quidem neceſſe eſt, vt ſplendidum

dum gubernandi munus, quod nonnisi intelligentis naturae eſt, ad materiae brutae coecos impetus traducamus: ipſum enim τὸ ἄπειρον, cum ſit primus ſupremusque Deus, & reliquam materiam conuertendo partem ſui procreauit ex ſeſe; & nunc etiam vniuerſum mundi ornatum ratione & prudentia gubernat. Sed DIOGENES APOLLONIATES apertius etiam quam ipſe Anaximenes Thaletis explicaſſe ſententiam videatur. Aërem enim, Anaximenis adductus auctoritate, loco aquae initium omnium rerum ſtatuens, hunc Deum eſſe vult: ſic plane, vt ſenſus atque intelligentia, ſecundum eam, quam Thales introduxerat rationem, ex Diogenis etiam ſententia in omnibus verſetur materiae primae particulis. Quod quidem Ciceronis Ariſtotelisque teſtimonio abunde comprobari: nec refragari Auguſtini auctoritatem, perſpicue, ni fallor, a nobis ſupra oſtenſum eſt. Neque vlla iam cogimur ratione, vt cum BAYLIO putemus, Diogenem Ionicorum diſciplinam immutaſſe, ipſumque demum excogitaſſe iſtam aëris animati opinionem (k). Vera genuinaque Ionicorum ratio ineſt in Diogenis decretis, quam a Thalete introductam propagatamque ad Diogenem, clarius is modo & apertius enuntiaſſe cenſendus eſt. Colligas iam in vnum, quaecunque dicta ſunt: ponas materiam brutam ſenſu & ratione vacantem verſari in Ionico-

(k) BAYL. voc. DIOG. APOL. not. B.

nicorum disciplina; magnam partem eorum euertas necesse est, quae de Thalete veteres, ac de discipulis eius tradunt. Fingas, ad materiam adiunxisse Thalem diuinam mentem diuersam a materia, aut quae saltem interius quid ipsa materia sit; quibusdam satisfacies veterum locis: sed longe plura repugnabunt, recurretque illud semper, vnum naturae principium, vnam rerum omnium causam Thalem ex constanti propemodum antiquitatis auctoritate statuisse. Animo denique concipias eam Thaletis theologicam rationem, vt ipsa prima materia ratione sit sensuque praedita; concinent & concordabunt, quaecunque prisci historiae philosophicae auctores de Ionicis memoriae mandarunt philosophis, expeditaque est ratio cunctorum, quae ipsis tribuuntur, decretorum. Quare, si quidem ita quaeque interpretatio verisimillima habenda sit, vt vniuersis veterum testimoniis coniunctim sumtis maxime congruit; hanc nostram disputationem insigni sua probabilitate non carere, quemuis intellecturum confido.

§. XIV.

Callide vero Thales hac quidem disciplina & popularem de diis opinionem cum suis de initiis rerum decretis conciliauit; & ista tota religione ad muniendam stabiliendamque legum atque iustitiae vim vsus est. CICERO certe, Thaletis de deorum numine sententiam ad ciuilem vnice rationem accommodatam fuisse, haud obscu-

obſcure ſignificat, de toto theologiae Graecanicae genere, de Thalete inprimis, ita diſputans: *Melius Graeci atque noſtri: qui, vt augerent pietatem in deos, easdem illos, quas nos, vrbes incolere voluerunt: affert enim haec opinio religionem vtilem ciuitatibus: ſiquidem & illud bene dictum eſt - - - - quod Thales* (dixit), *qui ſapientiſſimus in ſeptem fuit, homines exiſtimare oportere, omnia quae cernerentur, deorum eſſe plena: fore enim omnes caſtiores, veluti qui in fanis eſſent maxime religioſis* (l). Ex vniuerſa autem diuina natura cum decerpti ſint & depromti noſtri animi; poteſt omnino Thales putaſſe, illos, quandoquidem a craſſiori corpore diuerſi ſunt, manere poſt corporis fata, ideoque immortales eſſe. Cuius quidem ſententiae laudem Thaleti Graecorum primo DIOGENES LAERTIVS, ex quorundam veterum auctorum, CHOERILI inprimis poëtae, auctoritate tribuit: ἔνιοι δὲ καὶ αὐτὸν πρῶτον εἰπεῖν φασιν] ἀθανάτους τὰς ψυχάς· ὧν ἐστι χοίριλος ὁ ποιητής. *ſunt, qui illum immortales animos primum dixiſſe adſeuerent: ex quibus eſt Choerilus poëta* (m). Qualis vero ſit iſta immortalitas definire vix auſim. Suſpicari quis poſſit transmigrationem animarum a Thalete ex Aegypto allatam eſſe. Sed huius quidem ſententiae princeps Graecorum Pythagoras laudatur

E 2

(l) CIC. l. c.
(m) DIOG. LAERT. L. I. ſegm. 24.

tur (mm). Caeterum, quandoquidem repetitum per vices mundi ortum atque occasum Ionicis philosophis probatum fuisse, postea videbimus; eodem fortasse modo Thales immortalitatem animarum expediuit, quo Stoicorum plerique: permanere scilicet animas vsque ad interitum mundi, quo cum vniuersa reliqua materia diffluant quasi in primam illam aeternamque diuinam naturam.

§. XV.

Haec cum ita sint; intelligitur, immutatam quodammodo a Thalete Aegyptiorum Phoenicumque rationem esse. Istae enim gentes primam illam vniuersae naturae molem compositam a pluribus diuersisque naturis statuisse videntur: Thales contra vnam ponit sibique omnino similem naturam. Neque Phoenicum chaos in eam, quam Thales initium naturae esse voluit, aquam satis apte conuenit, in qua nihil est confusi perturbatique, sed omnia ratione & intelligentia perfusa: chaos autem Phoenicum crassiorem continet materiam, contrariam diuino spiritui, in qua nil nisi confusio regnat (n). Neque mirum cuiquam videri debet, Thalem tam fuisse audacem, vt, relicta quodammodo maiorum auctoritate, suum sequens iudicium, propriam priuatamque constituerit disciplinae formam: satis enim animi inge-

(mm) DIOG. LAERT. L. VIII. segm. 14.
(n) Conf. BAYL. voc. THALES not. D.

ingeniique in Thalete fuisse ad eiusmodi quid audendum, nemo dubitabit, qui, quae vetusti auctores de vita moribusque eius memoriae prodiderunt, attentiori paullo considerauerit animo. Neque enim leuia occurrunt vestigia, excelsa quaeque, praeclara, libera, ingenua eum secutum esse. Aegyptiorum vero sapientiam non adeo magni fortasse ab eo esse aestimatam, facile quisquam inde etiam suspicari possit, quod, cum discendi studio ad eos esset profectus, valde rudi imbecillaque eorum mathematica cognitione deprehensa, ipse plus scientiae in Aegyptum attulisse, quam inde reportasse videatur: taceo, aetate iam prouecta Thalem Aegyptios adiisse; vnde facilius quis totam ipsius rationem ab ipso partam, quam ex Aegypto allatam esse concludat (o).

§. XVI.

Neque vero insoliti quid aut inauditi in veterum philosophorum scholis erat, primae materiae corpusculis sensum attribui atque intelligentiam. Hoc enim eodem modo EMPEDOCLES, CICERONE & PLVTARCHO testibus, quatuor ista, quae probabat, omnium rerum elementa non animata solum credidit esse, sed vnas eas habuit supremas diuinitates, vnde & corporeus mundus & deorum chorus hominumque animae essent procreatae. Atque CICERO quidem: *Empedocles*, inquit, *multa alia* pec-

(o) Conf. BRVCK. l. c. §. 3. p. 458. seqq.

peccans, in deorum opinione turpissime labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, diuinas esse censet (p). Quocirca & quatuor ista elementa apud PLVTARCHVM diuinis appellat Empedocles nominibus, aetherem siue ignem vocans Iouem, aëra Iunonem, terram Plutonem, aquam denique Nestin. (q). Neque tamen eo secius magnus deorum inferiorum siue daemonum ipsi placuit numerus, qui quatuor istis elementis originem debentes suam, res mundi curent administrentque (r). Ex quo plane intelligitur exemplo, quam vim Thales sentiendi in materia prima inesse, quoque modo ex ea prodiisse multitudinem daemonum voluerit. Quamquam enim Empedocles, qui Italicae scholae alumnus erat, in partibus disciplinae explicandis a Thalete dissentiret, vt qui vnius elementi loco quatuor poneret; quod ad hunc tamen locum attinet, eadem probabatur Thaleti atque Italicae scholae ratio, generatio nimirum omnium rerum a corporeis initiis: id quod infra, cum ad illustranda Pythagorae decreta peruenerimus, perspicue patefiet. Sed veterum philosophorum nemo hac quidem in parte tam prope attingit Ionicae scholae placita, quam HERACLITVS EPHESIVS. Hic enim, etsi primam materiam volebat igneae naturae esse, quod a Pythagoreis acceperat; neque tamen longius a Thalete discre-

(p) de N. D. L. I. c. 12.
(q) l. c. cap. 3. p. 263.
(r) ORIGEN. PHIL. c. 3. p. 48.

discrepare videatur, quam Anaximenes & Diogenes, loco aquae aëra ponentes; & ipse HERACLITVS non tam fuit tenax principii ignei assertor, vt illud ipsum aëris quoque naturam quodammodo referre non arbitraretur. Est autem Heracliteus ille ignis in minima diuisus ramenta & corpuscula: quae, cum sensu atque diuina ratione sint praedita velocissimeque agitata, exstincto isto motu per quietem arctius se contingentia, reliqua producant corporum elementa. Ipsum vero igneum principium, ex ea quidem parte, quatenus subtilitatem velocitatemque naturae suae aeternam retinet, penetrans per eam, quae ex sese genita est, caliginosam inertemque materiam, mundi constituit animam, vitam largientem cunctis corporibus. Quorum omnium probandorum causa vti longiorem instituamus orationem, necesse non est: tanta enim diligentia curaque Celeber. BRVCKERVS in explicandis Heracliti decretis est versatus, vt, quid addi possit, vix esse videatur (s). Eò igitur lectoribus ablegatis, id vnum iam animaduerti velim, quanta quamque illustris inter THALETIS & HERACLITI disciplinam intercedat similitudo. Vterque enim ponebat vnam sibique in omnibus suis partibus similem materiam, quae sit fons atque initium vniuersae naturae: vterque primam istam materiam sensu & intelligentia praeditam credidit: vterque ex eadem illa materia conden-

(s) l. c. P. II. L. II. c. XII. §. 3. p. 1213. seqq.

condensata, exstincto eius velocissimo motu, crassioris materiae elementa generata vult esse: vtrique denique reliquam primae materiae partem, in qua remanserit sensus & motus, placuit, penetrare se per inertem materiae crassioris molem, tamquam mundi animam fontemque & inferiorum deorum & nostrae animae. Haec Ionicorum Heracliteorumque decretorum insignis affinitas iam virum eruditum IOH. CHRIST. WOLFIVM adduxerat, vt Heraclitum hac in parte idem, quod Anaximenem sensisse pronuntiaret (t).

§. XVII.

Neque etiam reliqua Heracliti decreta forsitan magnopere abhorrent a Ionicorum philosophorum schola. Istum enim constat fato aeternisque necessitatis legibus subiecisse vniuersam naturae generationem atque ornatum: quod idem THALEM fecisse, affirmare nihil dubito. Testem habeo PLVTARCHVM, qui: θαλῆς, inquit, ἰσχυρότατον ἀνάγκη, κρατεῖ γὰρ τοῦ πάντος. *Thales statuit validissimum omnium rerum esse necessitatem: dominatur enim ea vniversae naturae* (u). Eadem plane verba apud Diogenem Laertium leguntur (w). Atque si dicendum, quod res est, omnes mihi videntur ve-

(t) not. ad ORIGEN. PHIL. p. 62.
(u) l. c. cap. 25. p. m. 269. conf. BRVCK. l. c. cap. I. §. 17. num. VI. p. 491.
(w) DIOG. LAERT. l. c. segm. 35.


vetuſtiſſimi philoſophi, qui nonniſi corporea agnouerunt naturae initia, ita ſtatuiſſe, vt aeterna quadam neceſſariaque cauſarum connexione totus mundus vniuerſaque naturae euenta contineri videantur. Communem itaque errorem errauerunt omnes, vt qui aliam cauſarum ſeriem, quam quae nunc eſt, ne exiſtere quidem poſſe, omnesque vniuerſi mundi mutationes inexpugnabili aeternaque neceſſitatis lege certas, definitas conſtitutasque eſſe, arbitrarentur. Ipſe Democritus, qui tamen, ex plerorumque ſententia, ne animatas quidem atomos ſuas eſſe voluit, ad neceſſitatem fatumque cuncta retulit: de hoc enim idem PLVTARCHVS: παρμενίδης ϰ Δημόκριτος πάντα κατὰ ἀνάγκην, τὴν αὐτὴν δὲ εἶναι καὶ εἱμαρμένην, ϰ δίκην, ϰ πρόνοιαν, ϰ κοσμοποιόν. *Parmenides & Democritus volunt, omnia ſecundum neceſſitatem contingere: eandem vero eſſe & fatum, & legem, prouidentiamque & cauſam efficientem mundi ornatum* (x). Neque ante Epicurum temere quisquam reperietur, cui ſtolida iſta ratio, quaſi temerario fortuitoque caſui & ortus & interitus omnium rerum debeatur, probata ſit. Quamquam enim fatum iſtud haud multo melius eſt putandum, quam Epicuri temerarius caſus; relinquitur tamen in illo rationi humanae ad inveſtigandas rerum cauſas nonnullus aditus, qui reapſe ab Epicuro ſublatus plane & euerſus eſt. Iam ad exuſtionem mundi Heracliteam quod

(x) PLVTARCH. l. c.

attinet, ne hoc quidem placitum ignotum prorſus in Ionicorum ſchola fuit. Tantum intereſt, quod ad ſuam quisque primae materiae rationem mundi interitum retulerint. HERACLITVS nimirum igni combuſtum iri mundum decreuit; quia ipſi ignis erat initium totius naturae (y): ANAXIMANDER contra ex infinitate naturae, quam infinitatem aëra eſſe ſupra vidimus, infinitos mundos naſci ſtatuit (z). Quod ego quidem non de infinito quodam mundorum numero, qui ſimul exiſtant, acceperim: ſed de iterato infinitis viciſſitudinibus ortu & interitu mundi. Atque hoc quidem verba CICERONIS aperte ſignificare videntur, qui: *Anaximandri opinio eſt*, inquit, *natiuos eſſe deos*, *longis interuallis orientes occidentesque*, EOSQVE *innumerabiles eſſe mundos* (a). Vides, Cicerone auctore, innummerabiles Anaximandri mundos, atque deos ipſius vnum idemque eſſe: ſed dii longis interuallis oriuntur occiduntque; quare & de innumerabilibus iſtis mundis idem ſenſerit Anaximander neceſſe eſt (b). Quid igitur, ſi dicamus, nec ipſum Thaletem ab hac abhorruiſſe ſententia? Inter cuius diſcipulorumque ſuorum placita ſummam conuenientiam adhuc obſeruauimus: praeſertim cum nec noua haec opinio nec inaudita erat, ſiquidem Aegyptii iam mundi in-

(y) conf. PLVTARCH. l. c. cap. 3.
(z) CIC. de N. D. L. I. c. 10.
(a) l. c.
(b) conf. CVDWORTH. l. c. p. 140.

interitum iteratis viciſſitudinibus dicuntur ſtatuiſſe. Quare mirandum non eſt, rationem iſtam ad priores Graecorum philoſophorum omnes perueniſſe, adeo vt non adoleſcentior modo Eleatica ſchola: ſed Ionica atque Italica etiam eandem ſecutae ſint. Illud itaque poſtremo loco ſic habeto: quo maiori cura inquiro in Graeciae philoſophorum rationes; eo maiorem ſe mihi oſtendere earum omnium, antiquiſſimarum maxime, affinitatem, atque hoc magis confirmari me in ea, quae iam dudum in animo mihi haeſit, ſententia, tantum inter antiquiſſimos Graeciae philoſophos fortaſſe non intereſſe, quantum plerique ſibi perſuadent.



Cap. II.

CAP. II.

DE THEOLOGIA PYTHAGORAE.

Leges, quae in exquirenda Pythagorae sententia obseruandae sunt. § 1. 2 Pythagoras in duas partes tribuit vniuersitatem rerum, CALIDAM & FRIGIDAM : *in calido principio inest diuina natura. §. 3. Deus ex Pythagorae sententia corporeus est. §. 4. Alterum principium, frigidum nempe, non est ortum ex calido, quamquam nonnulli Pythagoreorum aliter senserint: frigidum principium denuo a Pythagora tributum est in tres naturas, seu elementa : in eodem vim quandam & motionem propriam inesse Pythagoras statuit. §. 5. Argumentum de Deo Pythagorae concluditur : Pythagoras fato subiecit & Deum & cuncta mundi euenta. §. 6. Varii ordines atque classes inferiorum deorum. §. 7. Disputatio de Pythagorae numeris suscipitur: in iis Platonis ideae inesse non videntur. §. 8. vniuerso numerorum genere nihil aliud continetur, nisi natura fati, siue ἡ συμπλοκὴ τῶν αἰτιῶν:* THOMAS BVRNETIVS *rei non omnino satisfecit. §. 9. 11. Numeri singuli explicantur: quae sit vis τῆς μονάδος ostenditur. § 12. Multum interest inter τὸ ἓν & τὴν μονάδα: τό ἓν est omnis vniuersitas rerum, priusquam mundi ornatus effi-*

efficeretur. §. 13. & 14. *Dyas.* §. 15. *Trias.* §. 16. *Tetractys & Denarius.* §. 17. 18. *Pythagorae sententia de natura animi nostri.* §. 19. *Finis tractationis.* §. 20.

§. I.

Ad PYTHAGORAE theologicam rationem priusquam ingrediamur explicandam, paucis nobis, quas leges viasque in exquirenda ea secuti simus, exponendum videtur, quo facilius lectores de probabilitate coniecturarum nostrarum possint existimare. Est autem Pythagorae ratio tot diuersis ac plane contrariis sollicitata interpretationibus, vt facilius coelum terrae iungas, quam eruditissimorum concilies interpretum opiniones. Quocirca, sepositis fere commentatorum sententiis, noua quodammodo nobis via ingredienda videbatur, vt, quam possit fieri proxime ad veram Pythagorae sententiam accedere, obscurissimosque huius disciplinae sensus probabili quadam ratione venari nobis liceret. Et ad veteres quidem Pythagoreae philosophiae interpretes quod attinet, IAMBLICHVM dico & PORPHYRIVM caeterosque eclecticae scholae sectatores; his parum aut plane nihil hoc loco tribuendum esse, tam apertis nostra aetate ab eruditissimis quibusque philosophicae historiae scriptoribus ostensum est argumentis (a), ut in-

(a) Conf. CELEBER. BRVCKERVS in hist. crit. phil. passim. e. g. T. I. P. II. L. II. c. X. §. 4. p. 99. seq. T. II. P. I. L. I. c. 2. sect. 4. §. 16. p. 378. seqq.

inutilem plane operam viderer consumsisse, si huic probandae rei aliquid temporis vellem impendere. Mala horum hominum fides, quae explorata hodie testataque est, atque callidum conuellendae Christianae religionis consilium non modo fecit, vt infinita monumenta plane conficta, quae omnes potius alios, quam inclytos vetustatis viros auctores agnoscerent, orbi terrarum ab ipsis obtruderentur: sed &, quae restabant, exiguae doctrinarum Pythagorearum reliquiae ab iisdem illis mirifice corruptae & in alienum plane sensum detortae sunt: id quod ipse oculorum sensus quemuis veritatis studiosum docere potest. Horum igitur auctoritatem plane mihi relinquendam esse censui: nec, qui hos secuti sunt duces, aliud quid, quam vafrorum hominum commenta pro veris Pythagorae placitis assecuti sunt. Quod quidem cum plurimis & priori aetate & recentiori memoria accideret; maior inde etiam huic disciplinae obducta caligo, & Pythagorae obscuritas magis obscurata est. Patres enim veteris ecclesiae tantum non omnes hunc errasse errorem, vt Pythagoram pariter atque reliquos Graecorum sapientes infinitis locis aliter sensisse putarent, quam reuera senserunt, nemo hodie negat, nisi qui e re sua esse censet, extra omnem erroris suspicionem vetustos illos collocari ecclesiae doctores. Hi enim, cum apud animum propositum haberent, hinc Graecorum animos allicere ad veritatem recipiendam, illinc philosophorum re-

retundere faſtum (b); ita interpretati ſunt veterum ſapientium decreta, vt in rebus maximi momenti parum aut nihil a ſcripturae ſacrae auctoritate viderentur diſceſſiſſe: ex quo illud intelligi volebant, quidquid boni ſanique primi Graecorum doctores tradiderint, id ſacris litteris ac commercio eorum cum Iudaeis vnice deberi. Non tam ego quidem horum venerandorum ſenum, frangendi altos pſeudo-philoſophorum ſpiritus, conſilium improbauerim; quam, parum firmam eos certamque tenendi propoſiti iniiſſe rationem, doleo. Nec eorum mihi probantur mores, qui cum lapſus eccleſiae patrum in his aliisque rebus obſeruent paſſim, acerbe iſtis de re Chriſtiana optime meritis viris inſultare conſueuerunt. Verumtamen nec exiſtimationi, quam piorum virorum memoriae nos debere puto, aliquid acceſſurum videtur, ſi eorum errores retinere, quam verum ſequi malimus; nec meritis ipſorum quidquam detractum iri cenſeo, cum relicta illorum auctoritate, vbi minus recte ſenſerunt, meliora probemus. Audiendi igitur non ſunt, qui, vt patrum in quibuscunque rebus ſalua auctoritas eſſe poſſit, iuniorum Platonicorum fidei plus, quam par eſt, tribuentes, ita exponunt Pythagorae placita, vt longe aliam in-

(b) De conſilio quod patribus in interpretandis vetuſtorum philoſophorum decretis propoſitum erat vid. IAC THOMASIVS de Exuſt. mund. St. Diſſ. praelim. Theſ. XV not. a. p. 16. MICH. MORVRGVES dans le Plan theol. p. 4. ſeqq.

induant ſpeciem, quam vetuſtiſſimi indubiae auctoritatis ſcriptores memoriae prodiderunt. Quo vitio vel maxime MICHAEL MOVRGVES laborat, vir caeteroquin elegantis ingenii & doctrinae, in ea, quam gallice conſcripſit, theologiae Pythagoreae forma. Toto enim libro id vnum ſibi propoſitum habet vir eruditus, vt conquiſitis quibuscunque poſſet coloribus, ſcholae Alexandrinae teſtimoniis praecipue nixus, patres Pythagorae aliorumque philoſophorum decreta veriſſime expoſuiſſe contendat. Atque huius conſilii rationem cauſasque MOVRGVES ſatis aperte ipſe prodit: *A-t-on*, inquiens, *des principes ſur la religion, quand on veut, que* LES CANAVX DE LA TRADITION *ne ſoient pas nets de la lie du Paganiſme* (c)? Item alio loco: *Quand on compte pour rien le ſentiment unanime des Peres, on n' a qu' à ſe faire une religion* (d). Nobis autem, qui ſanctiſſimam religionem noſtram longe firmioribus fundamentis ſuperſtructam ſciamus eſſe, quam patrum oraculis neceſſe non eſt, vt vel ipſos eorum lapſus tamquam recte dicta defendamus: ſed cum illos conſtet plerumque, his quidem in rebus, a iunioribus Platonicis decipi ſe eſſe paſſos; patres videmus in exponenda Pythagorae theologia non magis ſequi debere, quam ipſam illam Potamonis ſubolem. Neque tamen illi ſolum, qui purgandorum patrum ceperant conſilium, in

(c) l. c. p. 14.
(d) l. c. p. 183.

in hos se errores induerunt: sed ex quo elegantiores litterae in occidentis partibus restaurari coeptae sunt; magna, qua satis diu floruerunt iuniores Platonici, auctoritas fecit, vt eruditissimus quisque, qui hanc litterarum partem illustrandam sibi sumserat, nonnisi corruptam nobis misereque distortam Pythagorae disciplinam traderet. Cui rei vel vnus IOH. SCHEFFERVS, quantus caeteroquin vir? argumento esse potest. In eo enim, quem de natura & constitutione philosophiae Italicae composuit, eruditissimo libello, ita secutus est Iamblichum, Porphyrium, caeterosque huius generis homines, vti quamuis aliam potius, quam Pythagorae philosophiam inde haurias.

§. II.

Quae cum ita sint; mirum videri non debet, recentiori memoria viros quosdam praestantissimos, repudiatis Alexandrinorum imposturis, veriora de Pythagorae disciplina & quaesisse & tradidisse: in quibus eminent ILLVSTR. MOSHEMIVS, (e) & CELEBER. BRVCKERVS (f). Hos qui attente legerit, praeclaram istam, quam iuniores Platonici persuadere nobis conantur, de Theologia Pythagorae opinionem omnem facile

(e) In notis ad CVDWORTH. SYST. INTEL. passim. e. g. p. 28. seqq. p. 209. p. 441. seqq.
(f) In HIST. CRIT. PHIL. T. I. P. II. L. II. C. X. p. 982. seqq.

facile amittet. Quorum ego veſtigiis inſiſtens, vt, quae mihi adhuc obſcura in Pythagorae ratione videbantur, quam poſſet fieri veriſimillime explicarem; primo loco mihi ad opiniones gentium eſſe attendendum putaui earum, ad quas Pythagoram diſcendi ſtudio adiiſſe inter omnes conuenit. Eſt equidem nullus propemodum orbis terrarum populus, quin cum eo fuiſſe Pythagoram nugatores iſti Alexandrini comminiſcerentur. Legas modo, quae ex iſtis IOH. SCHEFFERVS de Pythagorae peregrinationibus, quidque ex quaque ſecum apportarit, commemorat (g); & mireris, tantum virum tam apertis nugis vel minimum potuiſſe fidei tribuere. Haec igitur cuncta, cum aut valde dubia, aut omnino falſa ſint; Aegyptii relinquuntur atque fortaſſe Phoenices: hi enim, quin Pythagorae praeceptores fuerint, vix quisquam dubitat: Quamuis vero ipſa Aegyptiorum Phoenicumque ratio infinitis adhuc prematur difficultatibus: neque quid Pythagoras inde apportarit, aut quid ipſe ſit commentus, certum definiri queat; ea tamen, quae de Aegyptiorum theologia qualicunque probabilitate cognita ſunt, & conferre licet cum Pythagoreorum exiguis reliquiis: & ipſa collatio inſtituta aditum quodammodo videtur dare ad vtrasque diſciplinas paullo propius inſpiciendas, illuſtrandamque alteram ex altera. Eas deinde tantum in has meas commentationes admiſi Pythagorae doctrinas, quae ab

(g) l. c. cap. 4. & 5. p. m. 14. ſeqq.

ab auctoribus ipſi tribuuntur, quorum fides non tam eſt vehementer ſuſpecta, quam Alexandrinae ſcholae, atque quos ſaltem data opera Pythagorae ſententiam voluiſſe peruertere, nulla videtur adeſſe iuſta ſuſpicionis cauſa. Quo loco nobis more videtur agendum eſſe eorum, qui de callidorum hominum occultis conſiliis, ex paucis, quas hi ipſi imprudenter quaſi dederunt, ſignificationibus, non minus callide coniiciunt. Notum enim eſt Pythagorae inſtitutum, quo is ſtudio atque cura veram ſuam omnes, praeter interiores diſcipulos, ſententiam celauerit. Nec quae hodie ſuperſunt eius placita, aliud fere quidquam declarant, quam vulgarem illius doctrinam. Ad interiorem autem Pythagorae diſciplinam cognoſcendam nullus alius videtur aditus relictus eſſe, niſi vt, quae in vulgus emanare paſſus eſt placita varie componendo conferendoque inter ſe, coniectura quadam probabili mentem eius conemur elicere. Qua quidem in re vehementer, ne vulgares quidem Pythagorae doctrinas ad nos integras perueniſſe, dolendum eſt: oppido enim pauca ſunt, quae de Pythagorae ratione apud ARISTOTELEM, SEXTVM EMPYRICVM, PLVTARCHVM, DIOGENEM LAERTIVM, CICERONEM, STOBAEVM, in ORIGENIS PHILOSOPHVMENIS, & apud ANONYMVM PHOTII paſſim inuenias. PLATO autem is eſſe non videtur, cui tuto poſſimus fidem habere, quem, vt priſcos philoſophos in ſuas pertraheret partes, placita

eorum haud parum saepe corrupisse, satis constat. Ipsae istae, quas auctores, quos dixi, nobis exhibent, paruae reliquiae, parum iam nonnunquam sibi constant, nec sine insigni difficultate ita possunt conciliari, vt apta inde compositio vnaque disciplinae forma enascatur: plane, vt isti scriptores ipsi Pythagorae sententiam minus interdum videantur assecuti esse. Quod nisi esset, nosque vel vulgarem Pythagorae disciplinam satis haberemus cognitam, explicatio reconditorum dogmatum non omnino esset desperanda; nemo enim homo tam callidus versutusque est simulator, cuius occultae cogitationes aliorum solertiae, facta dictaque eius obseruantium, quodammodo non pateant. Nunc vero iis vtendum est, quae sunt; & vt quaeque explicatio collatis inter se Pythagoreae doctrinae subobscuris vestigiis est aptissima, ita veri ea videtur habenda esse simillima. Neque tamen ad exquirendam Pythagorae rationem reliquorum Pythagoreorum decreta plane nihil faciunt. Permansit equidem ista celandae disciplinae cura, quam Pythagoras instituit, quodammodo in successoribus etiam eius, nec hi temere quidquam rerum suarum euulgari passi sunt; difficiliores tamen hoc loco eruditissimi quidam viri videntur esse, quam res postulat. Talem enim sibi animo fingunt istam Pythagoreorum taciturnitatem, quasi quidquam reconditorum huius scholae sensuum exire plane non potuerit: quod quidem eiusmodi est, vti conditionem rerum hu-

humanarum excedere videatur. Sint enim homines rerum ſuarum ſtudioſi celatores; res tamen, ne multis conſciis quodammodo vel imprudentibus iſtis aliquando palam fiat, vix ingenii humani fert natura. Quod vero PORPHYRIVS ad exaggerandam taciturnitatem Pythagoreorum & monumentorum paucitatem diſputat (h); id a callido homine hoc potiſſimum conſilio factum videri poſſit, quo ſapientiae miracula, ſeu monſtra potius, a nemine veterum Pythagorae tributa, quae tamen in Pythagora ſuſpici Porphyrius e re ſua eſſe iudicabat, procliuiorem fidem inueniant. Atque etiam apertius paullo nonnulli ſcholae Pythagoreae alumni protulerunt animi ſui ſenſum vt OCELLVS LVCANVS, vt EMPEDOCLES, vt alii: quos quamuis reliqui Pythagorei inſectarentur odioque haberent; hoc ipſum tamen argumento eſſe poteſt, candidius veriusque iſtos viros de Pythagorae expoſuiſſe placitis, quam hi ſuperſtitioſi homines factum eſſe vellent. Ita enim fere fit, vt, qui inſtituta ſua celari cupiunt vafri homines, ſi quid inuitis illis emanauerit, obtrectent iſtis, qui arcana prodiderunt, mendaciique eos coarguant. EMPEDOCLES certe ob proditam diſciplinam a Pythagoreis communione ipſorum excluſus eſt (i). Ridiculi hi homines videantur, qui propterea

(h) IN VITA PYTHAGORAE. p. 52. conf. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 445. not. 21. num. 1.

(i) DIOG. LAERT. L. VIII. ſegm. 56.

Empedoclem eiecerunt, quod decreta eulgaverit, si quidem iste, quod postea criminati sunt, omnes alias potius, quam Pythagorae sententias, in lucem protulit. Cur igitur expulsus est? Apertius egisse Empedoclem, quam ipsi vellent, haec istorum ira satis indicat. Quocirca & ipse celeber. BRVCKERVS in recensendis Empedoclis rebus, eius decreta cum Pythagorae placitis pulcerrime consentire, saepius fatetur (k). Illud equidem non inficior, ex vnis his istorum Pythagoreorum sententiis certi quid de ipsius Pythagorae mente statui non posse: cum quid a Pythagora acceperint, quidue ipsi ex suo addiderint ingenio, non satis constet; valent tamen ad illustranda ea, quae certi auctores ipsi Pythagorae tribuunt, placita: neque negligenda omnino est eorum auctoritas in exquirenda doctrina magistri. Neque etiam tam longe istos Pythagoreos a praeceptoris auctoritate discessisse sui, vt nonnulli sibi persuadent, ipsa haec nostra, vt spero, tractatio postea docebit. His igitur tribus, quae dixi, locis, tamquam argumentis & notis rerum vsus sum: atque ad formulam aliquam Pythagoreae theologiae constituendam progressurus, quae Pythagoras ipse ab auctoribus fide dignis docuisse perhibetur, ea hinc cum Aegyptiorum Phoenicumque decretis: illinc cum caeterorum contendi Pythagoreorum sententiis: neque dubitaui, quin ita quidque ad Pythagorae disciplinam proxime accedat, vt iun-

(k) l. c. sect. II. §. 5. seqq. p. 1106. seqq.

iunctis his locis comparatisque inter ſe maxime eſſet conſentaneum. Quam viam atque rationem, tametſi non tam ſim ſtultus, vt in his obſcuriſſimis rebus certi quid & explorati me dediſſe putem, ſua non carere probabilitate, perſuaſum mihi eſt: cuius tamen rei iudicium omne penes lectores eſto.

§. III.

Nobile inprimis Pythagoreae diſciplinae caput numerorum ſcientia fuit, quibus Pythagoras totam fere ſuam concluſit ſapientiam. Sed cum numeris eum nonniſi ſignis occultarum rerum vſum eſſe inter omnes conueniat, (quamuis de rebus iſtis ipſis ſummus deprehendatur interpretum diſſenſus); mihi quidem faciendum eſſe non putaui, vt, quod nonnullos feciſſe video, a numeris, Pythagoream diſciplinam explicaturus, ordiar. Ea primum mihi conſideranda eſſe videntur, quae in Pythagorae ratione explicatiora paullum minusque impedita occurrunt, quo deinceps probabiliori coniectura numerorum in hac ſchola vim poſſimus aſſequi. Vniverſam igitur naturam PYTHAGORAS in duas diuiſit res, *calidum* & *frigidum*. Ita nimirum ex Pythagorae ſententia DIOGENES LAERTIVS: ἰσόμοιρά τε εἶναι ἐν τῷ κόσμῳ, φῶς καὶ σκότος, καὶ θερμὸν καὶ ψυχρὸν, καὶ ξηρὸν καὶ ὑγρόν. *Aequis etiam partibus in mundo ineſſe lucem ac tenebras, calidumque & frigidum, ſiccum & humi-*

midum (l). Quo ex loco ſimul patet, lucem & ſiccum Pythagorae idem valere, ac calorem: neque enim Diogenes in ea, quae excipit haec verba, diſputatione vnquam plures duabus commemorat oppoſitas contrariasque res, quarum altera habeat caloris, altera frigoris naturam, quaeque vniuerſum conſtituant mundum. Simili plane modo AVCTOR PHILOSOPHVMENORVM ex DIODORO ERETRIENSI & ARISTOXENO MVSICO: Δύο εἶναι ἀπ' ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια, πατέρα καὶ μητέρα· καὶ πατέρα μὲν φῶς, μητέρα δὲ σκότος· τοῦ δέ φωτὸς μέρη θερμὸν, ξηρὸν, κοῦφον, ταχύ· τοῦ δὲ σκότους ψυχρὸν, ὑγρὸν, βαρὺ, βραδύ. ἐκ δὲ τούτων τόν κόσμον συνεστάναι ἐκ θηλείας καὶ ἄῤῥενος. *Duas rebus a primordio cauſas eſſe, patrem videlicet & matrem: & patrem quidem lucem, matrem vero caliginem. Lucis autem eſſe partes calidum, ſiccum, leue, velox: caliginis vero frigidum, humidum, graue, tardum. Sed ex his omnibus, adeoque ex muliere & viro conſtare mundum* (m). Addit equidem PSEVDO-ORIGENES, ZARATAM quendam Chaldaeum hanc Pythagorae tradidiſſe rationem. Sed iſta Pythagorae ad Chaldaeos peregrinatio neque certa eſt: neque vero res poſtulat, vt hanc a Chaldaeis deriuemus diſciplinam. Nihil enim, hac quidem in parte, Pythagoras docuit, niſi quod ab Aegyptiis didicerat: quos eodem plane modo vniuerſam rerum naturam in duo principia diuiſiſſe, ſupra obſeruauimus

(c. 1.

(l) L. VIII. ſ. 26.
(m) C. 2. p. 38. ſeq.

(c. 1. §. 1), quae quidem Aegyptiorum principia in *calidum* iſtud atque *frigidum* Pythagorae ſatis apte conueniunt (n). Adeo ſtudioſe igitur Aegyptios ſecutus eſt Pythagoras, vt iam ipſo maris & foeminae nomine ſeruato, illorum more vniuerſum mundum ἀῤῥενόθηλυν nuncuparet. Continetur autem ſecundum Pythagoram in calore, quem etiam marem dixit, cauſa efficientium rerum: motionis, ſenſus, rationisque omnis initium atque ſedes. Vnde per calorem omnia animari idem voluit, & animae humanae quoque praeſtantiorem partem, in qua inſit ratio & prudentia, caloris iſtius ſtatuit partem eſſe. Aperte id quidem DIOGENES LAERTIVS: ζῆν μὲν πάντα, ὅσα μετέχει τȣ̃ θερμȣ̃· διὸ ϗ τὰ φυτὰ ζῶα ἔιναι. *Viuere autem omnia, quae caloris participent, atque ideo & plantas eſſe animantes* (o). Quod qua ratione accidat, ipſe iis verbis, quae praecedunt, declarauit DIOGENES: διήκειν τε, inquiens, ἀπὸ τȣ̃ ἡλίȣ ἀκτῖνα διὰ τȣ̃ αἰθέρος τȣ̃ τε ψυχρȣ̃ ϗ παχέος. καλȣ̃σι δὲ τὸν μὲν ἀέρα ψυχρὸν αἰθέρα. τὴν δὲ θάλασσαν ϗ τὸ ὑγρὸν, παχὺν αἰθέρα. ταύτην δὲ τὴν ἀκτῖνα ϗ ἐις τὰ βάθη δύεσθαι, ϗ διὰ τȣ̃το ζωοποιεῖν πάντα. *Penetrare item a ſole radium per aethera frigidum & corpolentum. Vocant autem aërem, frigidum aethera: mare autem & humidum, aethera craſſum. Hunc vero radium etiam profundum penetrare, atque adeo viui-*

F 5

(n) Conf. IABLONSKI in Panth. Aegypt. L. I. c. 2.

(o) l. c. ſegm. 28.

viuificare omnia (p). Ex quibus intelligitur & illud, calorem istum per vniuersam rerum naturam intentum atque fusum esse, eamque ipsam ob causam motionis existere initium & vitae omnis. Atque ad mentem diuinamque animae humanae partem quod attinet, eam non minus ex illa effici, quam diximus, calida natura, idem DIOGENES testis est: ϗ ἀνθρώπων ἔιναι πρὸς θεὺς συγγένειαν, κατὰ τὸ μετέχειν ἄνθρωπον θερμȣ̃. *Hominibus etiam esse cum diis cognationem, quod & homo caloris particeps sit* (q). Quam eandem rationem ita explicat SEXTVS EMPYRICVS: οἱ μὲν ȣ̃ν περὶ τὸν πυθαγόραν ϗ τὸν ἐμπεδοκλέα, ϗ τῶν Ιταλῶν πλῆθος, φασὶ μὴ μόνον ἡμῖν πρὸς ἀλλήλȣς ϗ πρὸς τȣ̀ς θεȣ̀ς ἔιναί τινα κοινωνίαν, ἀλλὰ ϗ πρὸς τὰ ἄλογα τῶν ζώων. ἓν γὰρ ὑπάρχειν πνεῦμα, τὸ διὰ παντὸς τȣ̃ κόσμȣ διῆκον ψυχῆς τρόπον, τὸ ϗ ἑνȣ̃ν ἡμᾶς πρὸς ἐκεῖνα. *Atque Pythagoras* (ita Heruetus, sed melius: *Pythagorae sectatores*) *& Empedocles & magnus numerus Italicorum philosophorum, dicunt non solum esse nobis inter nos aliquam & cum diis coniunctionem, sed etiam cum brutis animantibus. Esse enim vnum spiritum, qui instar animae totum mundum peruadat, & nos illis vniat* (r) Quae SEXTI verba collata cum dictis a DIOGENE, praeclare nobis recludunt Pythagorae sensus. Ipsam enim Pythagoras

(p) l. c. segm. 27.
(q) l. c.
(r) ADV. MATH. L. IX. §. 127.

ras cenſuit diuinam naturam ſiue mundi animam, de qua poſtea copioſius, calore iſto contineri: hinc & nullam aliam ob cauſam ſolem & reliqua aſtra ponit deos eſſe, niſi quod calor in iſtis dominetur: ἥλιόν τε καὶ σελήνην, καὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας εἶναι θεούς. ἐπικρατεῖ γὰρ τὸ θερμὸν ἐν αὐτοῖς, ὅπερ ἐστὶ ζωῆς αἴτιον. *Solem & lunam & reliqua ſidera, deos eſſe: quippe in illis ſuperare calorem, qui ſit vitae auctor* (s).

§. IV.

Appellauit autem Pythagoras diuinum iſtum calorem etiam aethera, & quidem αἰθέρα θερμόν. *aethera calidum* (t): ita tamen, ut & reliqua naturae elementa eodem dignaretur nomine. Apud Diogenem enim antea iam vidimus aërem a Pythagora vocari ψυχρὸν αἰθέρα, *frigidum aethera:* aquam autem & humidum παχὺν αἰθέρα, *aethera craſſum.* Quocirca effectio iſta atque vitae ſenſusque cauſa, quam Pythagoras in calido ponebat aethere, nonniſi ſubtilitate agilitateque differre videatur ab aëre & aqua: neque minus corporea ſit natura, quamuis ſubtiliſſima, quam duo haec craſſiora tardioraque elementa. Atque vt ita de Pythagorae ſtatuamus ratione non ſolum ipſa nos cogit *calidi* ſiue *ignei* principii appellatio, quam iſte diuinae imponebat naturae: ſed & multa praeterea ſuadere poſſunt alia argumen-

(s) DIOG. LAERT. l. c.
(t) DIOG. l. c. ſegm. 28.

menta. Illud enim, quod ſupra de Anaxagora vidimus, quem primum omnes perhibent ſimplicis puraeque mentis adſertorem fuiſſe non magis ad Thaletis valet rationem declarandam, quam ad ipſius etiam Pythagorae: in cuius quidem ſchola ſi eiusmodi mens fuiſſet tradita, ipſe huius ſententiae princeps dicendus foret, neque ad Anaxagoram omnes detuliſſent eius inuenti gloriam. Ipſe vero Anaxagoras ſatis expreſſa dedit veſtigia, non ſuperioribus modo Ionicis, ſed Pythagoreis etiam ſuam rationem oppoſitam eſſe, horumque calidam igneamque naturam, in qua ſupremam putabant ineſſe diuinitatem, pertinere ad materiae genus. Quamuis enim Anaxagoras ex homoeomeriis ſuis totum componeret mundum; hoc tamen non obſtitit, quo minus ad Pythagoream diſciplinam aperte reſpiciens, vniuerſam materiae molem in duas partes diuideret, *calidum* ſcilicet, & *frigidum*, ſiue *ſiccum* & *humidum*. Cuius quidem rei PSEVDO-ORIGENES teſtis eſt: τὸ μὲν ȣ̓͂ν πυκνὸν, inquiens, καὶ ὑγρὸν καὶ τὸ σκοτεινὸν καὶ ψυχρὸν, καὶ πάντα τα βαρεῖα συνελθεῖν ἐπὶ τὸ μέσον, ἐξ ὧν παγέντων τὴν γῆν ὑποςῆναι. τὰ δὲ ἀντικείμενα τȣ́τοις, τὸ θερμὸν, καὶ τὸ λαμπρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν, καὶ τὸ κȣ͂φον εἰς τὸ πρόσω τȣ͂ αἰθέρος ὁρμῆσαι. *Igitur medio loco, quodcunque craſſum, & humidum, & obſcurum, & frigidum, atque omnia grauia conſociata fuiſſe, ex quibus concretis ſubſtitiſſe terram: his contraria, calidum & lucidum & ſiccum & leue tetendiſſe in vlteriora aethe-*

aetheris (u). Vides, totum iſtud calidum principium Pythagorae tam aperte a priſcis auctoribus in corporearum materialiumque rerum numero referri, vt iam ipſas Pythagoreorum voces Anaxagoras in recenſendo iſto materiae altero genere retinuerit. Iſtis duabus autem materiae partibus aliud quoddam ille addens principium, quod ſit pura planeque incorporalis mens, hoc ipſo calidi illius Pythagoreorum principii rationem declarat, illudque oſtendit a purae ſimplicisque mentis natura procul eſſe remotum. Hinc & Stoici, qui, vt in plerisque rebus, ſic & hac in parte, Pythagoreorum ſtrenui fuerunt compilatores, proſcripta ea, quam Anaxagoras induxerat, quinta natura ſiue pura mente, diuiniſſimum illum ignem, motionis & ſenſus effectionem, corporeum quiddam eſſe, plane apertis affirmarunt verbis: nec quidquam arbitrabantur eſſe poſſe, quod ſit non corpus. Ita enim CICERO, *de naturis autem ſic ſentiebat* (Zeno Stoicus) *primum, vt in quatuor initiis rerum illis, quintam hanc naturam, ex qua ſuperiores ſenſus effici rebantur, non adhiberet. Statuebat enim ignem eſſe ipſam naturam, quae quidque gigneret, & mentem atque ſenſus. Diſcrepabat etiam ab iisdem quod nullo modo arbitrabatur quidquam effici poſſe ab ea, quae expers eſſet corporis. Cuius generis Xenocrates, & ſuperiores etiam, animum eſſe dixerunt: nec vero, aut quod efficeret aliquid, aut quod efficeretur, poſſe eſſe non corpus* (w). Sicubi vero

(u) c. 8. p. 69.
(w) A. A. Q. Q. L. I. C. XI.

vero Stoici affirmabant deum vacare corpore; non alio id fecerunt consilio, quam vt eum tamquam subtilissimam materiae partem a crassiori distinguerent materia: quo eodem modo BRVCKERVS recte monet (x) & PLVTARCHVM interpretandum esse, qui ex Pythagorae sententia supremum Deum neque sensibus neque dolori expositum, sed a visu remotum solaque mente comprehendendum dixit (y). Neque omnino post Pythagorae mortem, quidquid discipuli eius scholaeque Pythagoreae alumni de rerum tradiderunt natura, aliam diuini huius caloris vim indicat, quam esse eum subtilissimum naturae corpus, ex minimis concretum purissimisque partibus. Quo loco, ne iusto longiores simus, satis habeamus, duos duntaxat Pythagoreos speciminis loco commemorasse: reliquos Pythagorae sectatores idem statuentes qui nosse cupit, CELEBER. BRVCKERVM diligenter his de rebus & copiose disputantem adeat (z). HIPPASVS igitur METAPONTINVS, quem ex constanti veterum traditione principium omnium rerum ignem statuisse, eundemque ignem vocasse Deum, BRVCKERVS recte dicit (a), qualem putarit esse ignis huius naturam, HERACLITI EPHESII, qui eum audiuerat, abunde declarant placita. Plane enim coniuncta vtriusque ratione, PLV-

(x) l. c. §. 24. num. VII. p. 1076.
(y) in Numa. T. II. oper. p. m. 46.
(z) l. c. sect. II. p. 1101. seqq.
(a) l. c. §. 14. p. 1135.

PLVTARCHVS eos testatur ignem habuisse vtrumque eodem modo initium rerum. Neque igitur assentiri possum eruditissimo BRVCKERO, qui Heraclitum immutasse Hippasi disciplinam putat propterea, quod igni adiunxerit hic crassiorem materiam, ille vero ipsam crassiorem materiam ex igne natam statuerit. Tam apertis enim verbis Plutarchus non Heraclitum modo, sed & Hippasum affirmat ex ignis exstinctione reliquam deriuasse materiam, itaque hanc ex igne genitam procreatamque credidisse, vt eadem omnino Hippasi ac Heracliti ratio, si quidem Plutarchi standum est auctoritate, putanda sit. Ita enim Plutarchus: Ἡράκλειτος ϗ ἵππασος ὁ μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ, ἐκ πυρὸς γὰρ τὰ πάντα γίνεσθαι, ϗ εἰς πῦρ πάντα τελευτᾷν λέγουσι. τούτου δὲ κατασβεννυμένου κοσμοποιεῖσθαι τὰ πάντα. πρῶτον μὲν γὰρ τὸ παχυμερέστατον αὐτοῦ εἰς αὐτὸ συστελλόμενον γῆ γίνεται. ἔπειτα ἀναχαλωμένην τὴν γῆν ὑπὸ τοῦ πυρὸς φύσει, ὕδωρ ἀποτελεῖσθαι. ἀναθυμιώμενον δὲ ἀέρα γίνεσθαι. *Heraclitus & Hippasus Metapontinus* (putant) *initium omnium rerum esse ignem: ex igne enim omnia fieri, & in ignem omnia interire dicunt, igne autem exstincto omnia procreari. Etenim primo cum crassissimae eius partes in vnum coeunt, terra existit: laxata postea terra ignis ope, aqua efficitur, ex cuius humoribus aër prodit* (b). Iam

(b) de Pl. Ph. L. I. c. 3. T. I. oper. p. m. 263. Conf. CVDWORTH. l. c. p. 136. & IOH. ALB. FABRICIVS ad Sext. Pyrh. Hyp. L. III. sect. 30.

Iam vero obſcurum eſſe non poteſt, qualis ſit iſte Pythagoreus ignis: idem nimirum, qui Heracliti, ab Hippaſo Pythagoreo ſuam accipientis rationem: corporeus, concretus, ex minimis conſtans puriſſimisque materiae moleculis. EMPEDOCLES magis etiam perſpicue ignis iſtius naturam declarat: quamquam enim quatuor poneret rerum elementa, ignem, aërem, aquam atque terram; ita tamen quatuor iſtis vtitur Pythagoreorum more, tamquam eſſent duo: ſeparat ſcilicet ignem, tamquam nobiliſſimum principium, a reliquis elementis, quae iunctim ſumta alterum principiorum genus conſtituere putat: ἐμπεδοκλῆς ---- τὰ ὡς ἐν ὕλης εἴδει λεγόμενα ςοιχεῖα, τέτταρα πρῶτος εἶπεν. οὐ μὴν χρῆται γε τέτταρσιν, ἀλλ᾽ ὡς δυσὶν οὖσι μόνοις. πυρὶ μὲν καθ᾽ αὐτὸ, τοῖς δε ἀντικειμένοις, ὡς μιᾶ φύσει, γῇ τε καὶ ἀέρι, καὶ ὕδατι. *Empedocles ---- elementa, quae in materiae ſpecie dicuntur, quatuor eſſe primus adſeruit: non tamen eis vt quatuor vtitur, ſed tamquam duo eſſent ſola: igne quidem per ſe ipſum; oppoſitis vero, terra, aëre & aqua, tamquam vna natura* (c). Vere enim & fideliter Empedocles Pythagorae tenuit hac in parte diſciplinam, totum diſtribuens rerum genus in duas partes, quarum praecipua ignis ſiue calida natura ſit. Nec quae Ariſtoteles in his verbis pronuntiarat, Empedoclem primum alterum principiorum in tres diremiſſe naturas, ita ſunt accipienda, quaſi plane incognita ante hunc in

(c) ARISTOT. Metaph. L. I. c. 4.

in Pythagoreorum ſchola fuerit iſta ratio: ſed quod Empedocles primus clarius, quam ſuperiores, eam expoſuerit, in ipſis enim Pythagorae placitis haud obſcura occurrere huius rei veſtigia, deinceps videbimus. Sed vt Empedoclis perſequamur decreta, nihil omnino a Pythagorae deficiens iſte diſciplina; ignem eum, quem nobiliſſimum poſuit rerum principium, intelligentem putauit eſſe, qui & Deus ſit, omnemque rerum naturam contineat atque fingat: καὶ τὸ τῆς μονάδος νοερὸν πῦρ τὸν θεὸν, καὶ συνεστάναι ἐκ πυρὸς τὰ πάντα, καὶ εἰς πῦρ ἀναλυθήσεσθαι. *Monadis autem intellectu praeditum ignem Deum eſſe voluit, & conſtare ex igne omnia, rurſumque in ignem reſolutum iri* (d). Neque tamen eo ſecius ignem iſtum diuinum, aeque vt reliqua elementa, Empedocles apud Plutarchum in minimas diuidens partes, concreti quiddam & corporei eundem eſſe ſtatuit: Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων θραύσματα ἐλάχιστα, οἱονεὶ στοιχεῖα πρὶν στοιχείων. *Empedocles* (inducit) *minima quaedam ramenta, quae fuerint ante quatuor elementa, & elementorum quaſi elementa ſint* (e) Idem poſtea Plutarchus: Ἐμπεδοκλῆς ἐκ μικροτέρων ὄγκων τὰ στοιχεῖα συγκρίνει, ἅπερ ἐστὶν ἐλάχιστα, καὶ οἱονεὶ στοιχεῖα στοιχείων. *Empedocles elementa ex minoribus moleculis componit, quae ſint partes minimae & quaſi elementa elementorum*

(d) ORIGEN. Philoſ. c. 3. p. 49.
(e) l. c. cap. 13. p. m. 267.

rum (f). Non igitur ſine cauſa veterum nonnemo dixiſſe putandus eſt, optime DEMOCRITVM Pythagorae diſciplinam eſſe aſſecutum, fideliterque eam expreſſiſſe: δοκεῖ δὲ, (φησὶν ὁ θράσυλλος), Ζηλωτὴς γεγονέναι (Δημόκριτος) καὶ τῶν πυθαγορικῶν ----- πάντα δὲ δοκεῖν παρὰ τούτου λαβεῖν, καὶ αὐτοῦ δ᾽ ἂν ἀκηκοέναι, εἰ μὴ τὰ τῶν χρόνων ἐμάχετο. *Videtur autem, vt ait Thraſyllus, Democritus & Pythagoricorum fuiſſe imitator ------- adeo autem videri ab illo accepiſſe omnia, vt niſi temporum ratio obſtaret, illum & audiuiſſe putaretur* (g). Neque vero, hanc Democriteae rationis ſimilitudinem cum Pythagoreis placitis, ad aeternas rerum formas & ideas traducamus cum MOVRGVESIO (h) neceſſe eſt, quae Pythagorae non magis quam Democrito cognitae fuerunt: alia ſunt & longe quidem certiora huius conuenientiae veſtigia in Democriti placitis, qui non modo totam rerum naturam ex minimis compoſuit indiuiduisque partibus; ſed & plane Pythagoreorum more ipſos etiam hominum animos ex igneis effici arbitratus eſt elementorum corpuſculis, quae ſint velociſſima puriſſimaque omnium, ideoque prae caeteris idonea, vt per reliqua ſe penetrent corpora, eaque moueant (i). Quod quam ſit Pythagoreorum rationi conſentaneum, ARISTOTELES praeclare vidit. Expoſitis enim idem De-

(f) l. c. cap. 17. p. 268.
(g) DIOG. LAERT. L. IX. ſ. 38.
(h) Plan theolog. p. 107.
(i) vid. ſupra c. I. §. XI.

Democriti placitis iis, quae modo commemoraui, continuo subiungit: ἔοικε δὲ καὶ τὸ παρὰ τῶν πυθαγορείων λεγόμενον τὴν αὐτὴν ἔχειν διάνοιαν. ἔφασαν γάρ τινες αὐτῶν, ψυχὴν εἶναι τὰ ἐν τῷ ἀέρι ξύσματα. οἱ δὲ, τὸ ταῦτα κινοῦν. *Videtur autem & id, quod a Pythagoreis dicitur, eandem habere sententiam: quidam enim ipsorum ea corpuscula, quae agitantur in aëre, quidam id, quod illa mouet ac agitat, animam esse dixerunt* (k). Quamquam in eo quidem vehementer differat Pythagoras a Democrito, quod hic non in ipsis illis elementorum minimis partibus sensum aut mentem inesse, sed ex certo demum quodam atomorum temperamento commixtioneque animos effici censebat, si scilicet plerosque historiae philosophicae auctores sequi velimus: Pythagoras vero sensum rationemque statuebat fusam per ipsum diuinum istum ignem, eique quasi innatam esse. Qua quidem ipsa de caussa ignis iste effectionis diuinaeque naturae rationem apud Pythagoram habet, quae descripserit consilio & prudentia reliquam materiae molem. Atque hoc quidem sensu ECPHANTVS Pythagoreus corporum motionem neque grauitati, neque impulsui, sed diuinae potentiae attribui voluit: quam eius sententiam ita exponit PSEVDO-ORIGENES: κινεῖσθαι δὲ τὰ σώματα μήτε ὑπὸ βάρους, μήτε πληγῆς, ἀλλ' ὑπὸ θείας δυνάμεως, ἣν νοῦν καὶ ψυχὴν προσαγορεύει. *Corpora non grauitate nec impulsu, sed diuina, quam mentem* ve-

G 2

(k) de Anim. L. I. c. 2.

vocat & animam, moueri potentia (l).' Quae quidem, quam habeant vim, intellectu pronum est ex iis, quae de Pythagoreorum igneo principio adhuc a nobis disputata sunt. Nec obscure haec Ecphanti decreta Leucippi sententiis fuerunt opposita, qui ex vna atomorum motione sine vlla effectione diuinae mentis mundum esse ortum statuit: neque pulcrius etiam aut concinnius totum illud, quod inter Italicam Eleaticamque scholam intercedit, discrimen potuisset explicari, quam ab Ecphanto his verbis factum est. Tale igitur cum fuerit principium istud, quod calidum a Pythagora vocatum, atque vitae omnis causa initiumque habitum est; intelligamus iam illud, quam longe TIMAEVS LOCRVS, in eo, qui hodie exstat, de anima mundi libello a Pythagorae discesserit disciplina, dummodo ipse Timaeus disputatiunculae illius auctor sit putandus: quod quidem adhuc dubitasse video neminem. Vtut enim in continuatione libelli nonnulla occurrant Pythagoricae rationis vestigia; eo tamen loco, qui caput atque arx totius disciplinae dicendus est, Timaeum relicta Pythagorae auctoritate ad Anaxagorae sententiam se aggregasse, ipse primus libelli introitus satis comprobat. Repudiato enim duplici isto Pythagoreorum principio, quod vtrumque sit corporeum, totum contra Timaeus materiae genus mentis subiicit effectioni, mentemque ponit ex Anaxagorae disciplina, toto genere a materia diuersam:

(l) c. 15. p. 103.

ſam: δύο αἰτίας ἦμεν τῶν συμπάντων, inquit, νόον μὲν, τῶν κατὰ λόγον γιγνομένων· ἀνάγκαν δὲ, τῶν βίᾳ καττὰς δυνάμεις τῶν σωμάτων. *Duas eſſe rerum omnium cauſas: mentem quidem earum, quae ratione quadam naſcuntur: & neceſſitatem earum, quae exiſtunt vi quadam, ſecundum corporum potentias & facultates* (m). Per ἀνάγκαν enim a Timaeo materiae genus ſignificari ex iis, quae in hoc libello deinceps dicuntur, aparet. Quae quamuis ſint ſaniora verioraque Pythagoreis decretis, Pythagorea tamen non ſunt. Neque difficile foret, hanc Timaei a Pythagoreis defectionem per integrum monſtrare libellum, ſi quidem id huius loci eſſet: praeter haec tamen nonnulla obſeruandi poſtea nobis occaſio erit.

§. V.

Alterum vero Pythagorae principium, quod frigidae humidaeue naturae ponebat eſſe, quale ſit, magis dubium eſſe poſſit propterea, quod de hoc quidem varie expoſuerunt ſcholae Pythagoreae ſectatores. Nonnulli etenim eorum reliqua elementa omnemque rerum naturam ab illo ipſo diuino igne genitam procreatamque eſſe arbitrabantur, vniuerſumque propterea mundum igne non ſolum contineri, ſed & ex eo ortam, in illumque interiturum eſſe. Atque hanc quidem rationem ita expediebant, vt ex-

(m) In oper. PLATON. p. m. 553.

ſtincto igne condenſatoque ex parte, cum velociſſimus illius motus ſummaque ſubtilitas ceſſaret, terram natam eſſe ſtatuerent. Per hanc cum reliquus ignis penetraret eamque funderet, aquam inde eſſe factam: ex aquae denique humoribus exſtitiſſe aërem. Tum vero, cum totum craſſioris materiae genus incenſum rurſus, & ad priſtinam natiuamque velocitatem redactum fuerit; vniuerſum mundum conflagratum iri. Hoc enim modo Hippaſum Metapontinum, Heracliti magiſtrum diſciplinam ſuam inſtituiſſe, ſupra iam vidimus: neque cauſam adeſſe vllam itidem monuimus, quam ob cauſam Heraclitum ſtatuamus magiſtri decreta immutaſſe; cum ex Plutarcho abunde pateat, vnam plane eandemque fuiſſe & Hippaſi & Heracliti, quod ad hanc quidem diſciplinae partem attinet, ſententiam. Eandem ſecutus eſt rationem OCELLVS LVCANVS, qui ipſo etiam cel. BRVCKERO referente (n), ex igne reliquam rerum naturam elementaque eſſe nata arbitratus eſt: quamquam in hoc quidem diſcrepat ab Hippaſo, quod non terram proxime ex igne, ſed aërem procreatum eſſe cenſebat, ex aëre vero aquam, hanc vero tandem terram produxiſſe. Quocirca ſolus ignis ſecundum Ocelli placita vniuerſae naturae non fundamentum modo & initium eſt, ſed idem ſolus ſemper ex ea parte, quatenus natiuam ſuam puritatem retinuit, immutabilis ſibique ſimilis manet, cum reliqua omnia fluant & commutentur,

(n) l. c. §. 10. p. 1125.

tur. Nulla igitur in his quidem Ocelli decretis ideae Platonicae aparent, quas Celeber. BRVCKERVS in iis inuenire sibi visus est, Ipse etenim ignis illud primum est, quod & alias res mouet, & ipse simillimo sibi semper eodemque mouetur modo. Videtur equidem ipse OCELLVS quintam aliquam probare naturam, quae diuersa sit a commemoratis istis quatuor (o): atque SEXTVS etiam EMPYRICVS ἐκ πέντε, inquit, Ὄκελλος ὁ λευκανὸς (ἀπέλιπε τὴν γένεσιν). *Ex quinque Ocellus Lucanus* (rerum ortum admisit) (p). Verumtamen, si ita haec capienda sint, vt quinta ista natura sit pura mens, distincta ab igne siue calore; actum est de consensu Ocelli cum Pythagora, per ipsam illam, quam BRVCKERVS descripsit theologiae Pythagoricae formam. Tota ista Ocelli ratio ex Empedoclis decretis commode videtur intelligi posse. Hunc enim quatuor omnino, nec plures statuisse naturas, quae sint rerum initia, constanti comprobatur totius antiquitatis testimonio: neque tamen eo secius in quodam, qui est apud PLVTARCHVM, loco, quinque tribuuntur Empedocli elementa, ita quidem, vt discernatur ὁ αἰθὴρ, *aether*, ἀπὸ τοῦ πυρὸς, *ab igne*, atque ex aethere dicatur coelum extitisse, ex igne vero sol (q). Caue vero propterea putes, aethera secundum Empedoclem reuera & natura sua differre ab igne: diuersum mo-

G 4 do

(o) Conf. FABRIC. ad SEXT. adv. Math. L. X. Sect. 316.

(p) SEXTVS EMP. l. c.

(q) de Pl. Phil. L. II. c. 6. oper. T. I. p. m. 270.

do temperamentum vnius eiusdemque elementi vterque eſt, atque id quidem ipſo Plutarcho teſte, qui alio loco nonniſi quatuor refert ex Empedoclis ratione elementa, primo tamen eorum; ſiue aetheri, duplici temperamento diſerte dato: τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε· Ζεὺς αἰθὴρ - - - - - - - Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν καὶ τὸν αἰθέρα. *Quatuor omnium rerum fundamenta primum accipe: Iupiter aether - - - - - - Iouem etenim vocat* ARDOREM & AETHERA (r). Nihil aliud itaque Empedocles voluiſſe videatur, niſi, puriſſimum ignem ſupremasque mundi regiones occupantem, aethera vocari, qui ab omni craſſioris materiae contagione longiſſime abſit: eundem vero ignem, quatenus conſpiciendum ſeſe ſentiendumque exhibet in ſole caeteriſque aſtris, proprie ignem vocandum eſſe, vt diſtinguatur a puriſſima diuinitatis ſede, quo ſenſibus noſtris aditus non patet. Quae quidem explicatio placitis Ocelli ita eſt apta, vt nihil poſſit ſupra: ipſe enim ex quinta iſta natura, quae in orbem moveatur, coeleſtia conſtare dicit; vnde ſponte ſequitur, puriſſimum aethera, non vero ideas Platonis, intelligi in quinta Ocelli natura, quae totum circumplexa mundum, tamquam vndique circumfuſus omniaque cingens ardor eodem ſemper modo exiſtat & moueatur. Qua eadem plane ratione Stoici de igne ſuo diuino diſputabant

(r) l. c. L. I. c. 3. p. 263.

bant (s), aethera, CICERONE auctore ita definientes: *Restat vltimus, & a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens & coercens Coeli complexus; qui idem aether vocatur, extrema ora & determinatio mundi: in quo cum admirabilitate maxima igneae formae cursus ordinatos definiunt* (t). Stoicos aethera vides ab adspectabilibus igneis formis, siue astris, aeque vt Empedoclem distinxisse, quibus tamen caeteroquin aetherem & ignem vnum idemque valuisse, certo certius est. Neque alio consilio PLVTARCHVS Pythagorae quintum quoddam elementum eodem loco tribuisse putandus est, quam quo in Empedoclis ratione recensenda aetherem ab igne distinxerat. Pythagoram enim aliam quandam quintam naturam ignorasse, euictum esse arbitror. Stoicos autem huius ipsius Pythagoreorum partis, qui ex igne crassiorem materiam natam statuerunt, vestigia persecutos esse, persuasum mihi est: quamquam plerisque in Stoicorum ratione crassior materia aeque aeterna esse videatur, ac diuinus ille ignis, quem cum Pythagoreis Stoici vitae & sensus initium perhibebant. Cuius quidem nostri iudicii causas, cum vberior huius rei tractatio consilii nostri excedat fines, duobus verbis iuuabit indicasse. CICERO igitur Stoicos non modo disertis verbis Heraclitum hac in parte secutos esse testa-

 tur:

(s) Conf. BRVCK. l. c. C. IX. sect. I. §. 9. num. 41. p. 942.

(t) CIC. de N. D. L. II. c. 40.

tur: *omnia vestri* (Stoici), inquiens, *solent ad igneam vim referre, Heraclitum, vt opinor, sequentes* (u); sed & eodem plane, quo de Hippaso vidimus, modo, a Stoicis conuersionem quandam elementorum statui & probari, idem CICERO auctor est: *omnia haec tum intereunt, cum in naturam aliam conuertuntur: quod fit, cum terra in aquam se vertit, & cum ex aqua oritur aër, & cum ex aëre aether, cumque eadem vicissim retro commeant* (w). Simillima horum sunt, quae de Stoicis habet DIOGENES LAERTIVS. Quamuis enim hic quidem Stoicos dicat duplex adseruisse rerum omnium principium: illud nimirum, quod efficiat mundum, atque alterum, quod efficiatur aliquid & fingatur (x); ipse tamen postea aperte nimis indicat, alterum illud principium, quod efficiatur aliquid, ex ipsa natura & substantia prioris per conuersionem quandam esse ortum. Deum enim dicit, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκειν εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννᾶν, *per temporum certos circuitus in seipsum omnem substantiam consumere, ac eam rursus ex seipso gignere* (y). Hanc autem notam mundi exustionem Stoicam non ita factam esse, vt Deus reliquam materiam in suum complexum attrahat duntaxat, rursusque e sinu suo eam expellat: sed per aliquam ipsius naturae potius conuersionem,

(u) CIC. l. c. L. III. c. 14.
(w) l. c. Cap. 12.
(x) L. VII. §. 134.
(y) l. c. §. 137.

nem, perſpicue ex his patet verbis: **κατ' ἀρχὰς μὲν ἦν καθ' αὐτὸν ὄντα (τὸν θεὸν) τρέπειν τὴν πᾶσαν ἐσίαν δι' ἀέρος εἰς ὕδωρ.** *Principio igitur, Deum, cum eſſet apud ſe, ſubſtantiam omnem per aërem in aquam conuertiſſe* (z). Et clarius etiam poſtea: γίνεσθαι δὲ τὸν κόσμον, ὅταν ἐκ πυρὸς ἡ ἐσία τραπῇ δι' ἀέρος εἰς ὑγρότητα· εἶτα τὸ παχυμερὲς αὐτῦ συςὰν ἀποτελεσθῇ γῆ, τὸ δὲ λεπτομερὲς ἐξαερωθῇ, καὶ τῦτ' ἐπιπλέον λεπτυνθὲν πῦρ ἀπογεννήσῃ. *Mundum vero fieri, cum ex igne ſubſtantia per aërem verſa in humorem fuerit; deinde craſſior ipſius pars conſiſtens effecta fuerit terra; porro ſubtilior in aërem ceſſerit, eademque magis ac magis extenuata in ignem euaſerit* (a). Quid vero tandem apertius exſpectes, quam haec Plutarchi verba: **ὁρίζονται δὲ τὴν τῦ θεῦ ἐσίαν οἱ ςωικοὶ ἔτω· πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες, ἐκ ἔχον μὲν μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βέλεται, καὶ συνεξομοιέμενον πᾶσιν.** *Definiunt autem diuinam naturam Stoici hoc modo: ſpiritus intelligens & igneus, qui quidem ipſe formam non habet, conuertit ſe autem in quodcunque vult, & ſimilem ſe reddit quibusuis rebus* (b) Elegantiſſime hac ratione Stoici exprimebant coſmogoniam Heracliteam: quibus & alia huius rei addi poſſent argumenta, ſi quidem id nunc ageremus. Inde vero videtur factum eſſe, vt idem PLVTARCHVS Pythagoreos, non nul-

(z) DIOG. l. c. ſ. 136.
(a) l. c. ſ. 142.
(b) de Plac. Phil. L. I. c. 6. p. 264.

nullos scilicet eorum, cum Stoicis coniungens, vnam vtrisque sententiam tribuat: οἱ ἀπὸ θάλεω, καὶ πυθαγόρȣ, καὶ οἱ στωικοὶ, τρεπτὴν καὶ ἀλλοιωτὴν ϗ μεταβλητὴν ϗ ῥευστὴν ὅλην δὶ, ὅλον τὴν ὕλην. *Thaletis & Pythagorae sectatores, vt & Stoici* (putant) *materiam conuersioni & mutationi esse obnoxiam, fluereque eam semper in vniuersa natura* (c). Alii contra Pythagoreorum, iique plures numero, aequalem altero suo principio, frigido scilicet, & eandem adsignabant aeternitatem, quam calido principio dederant, & vtrumque horum opinabantur sua vi & suapte natura existere. Praeter Empedoclem enim, cuius rationem hac in parte supra iam vidimus, eodem modo philosophati videntur esse ECPHANTVS, EPICHARMVS, PHILOLAVS, ALCMAEON, & vel maxime HIPPON RHEGINVS, de quo quidem PSEVDO-ORIGENES non modo ἵππων, inquit, ὁ ῥηγῖνος ἀρχὰς ἔφη ψυχρὸν τὸ ὕδωρ, ϗ θερμὸν τὸ πῦρ. *Hippon Rheginus principia dixit, frigidum, quae sit aqua, & calidum, quod sit ignis*; sed & continuo idem addit, γεννώμενον δὲ τὸ πῦρ ὑπὸ ὕδατος, κατανικῆσαι τὴν τȣ γεννήσαντος δύναμιν συστῆσαί τε τὸν κόσμον. *Procreatum ex aqua ignem, superasse potentiam eius, vnde genitus fuit, & composuisse mundum* (d). Est autem in his Hipponis decretis non modo nihil, quod a Pythagorae ratione sit alienum; sed ne potuisset quidem breuius

(c) l. c. cap. 9. p. 267.
(d) c. 16. p. 104.

uius pulcriusque explicari antiquiſſima coſmogoniae ratio. Recte enim ita interpretatur CELEBER. BRVCKERVS Hipponis ſententiam: τὸ ὑγρὸν, ſiue humidum in chaotico ſtatu incluſum implicatumque tenuiſſe ignem, ſiue calidum principium: hoc autem, perruptis vinculis, expediiſſe ſeſe, victoque materiae craſſioris perturbato impetu mundum effeciſſe (e): quae plane cum Aegyptiorum Phoenicumque conſentiunt coſmogonia. Iam vero, quamuis ad eam, quam nos credimus theologiae Pythagoreae formam eſſe, parum interſit, vtra harum ſententiarum ipſius Pythagorae fuerit; poſterior tamen, & praecipue Hipponis, verius illi videatur tribui poſſe, quam Hippaſi & Ocelli ratio. Idque vel eam ipſam ob cauſam, quod quibus magiſtris vſus eſt Pythagoras, Aegyptii Phoeniceſque, vt modo monuimus, neque aliam illi vllam tradiderunt diſciplinam: nec quae ad nos peruenerunt Pythagorae placita aliter nos exiſtimare de illius ſententia ſinunt, quam fideliter eum ſeruata magiſtrorum auctoritate, duplicis principii, quorum alterum alteri ſit contrarium, principium fuiſſe patronum. Ex vniuerſa enim iſta rerum mole & congerie, de qua poſtea, duo rerum initia diuerſae naturae atque indolis prodiiſſe, ita ſemper diſputat, ex quibus totius ſit ornatus mundi effectus, vt veterum certe nemini Pythagoram in mentem venerit iis adnumerare, qui ad vnum principium naturae referrer-

(e) BRVCK. l. c. p. 1104.

ferrent originem (f). Quod vel vnius ARISTOTELIS abunde confirmat copiosa disputatio, cuius summa argumenti tandem ita concluditur, duo Pythagoreos statuisse diuersaque rerum initia: οἱ δὲ πυθαγόρειοι δύο μὲν τὰς ἀρχὰς κατὰ τὸν αὐτὸν εἰρήκασι τρόπον. *Pythagorici quidem eodem modo* (de Alcmaeone Crotoniate locutus erat Aristoteles) *duo dixerunt principia* (g). Illi igitur Pythagoreorum, qui ab igneo principio exstincto & condensato alterum deducebant principium, magistri quodammodo reliquisse praecepta, & Italicae scholae decreta ad Ionicorum rationem nonnihil attemperasse, omnino putandi sunt. Quamquam itaque Pythagoras duobus vniuerse vteretur initiis rerum; hoc tamen non obstitit, quo minus alterum horum, *frigidum*, in alias quasdam diuersas naturas, tamquam partes, rursus idem tribueret. Hanc autem diuisionem etsi Empedocles postea magis perspicue explicaret, & in altero isto principio aërem, aquam & terram statueret versari; ipsius tamen Pythagorae reliquorumque Pythagoreorum dicta significare videntur, nihil omnino noui aut proprii Empedoclem hoc loco commentum esse. Solemne enim iam ipsi Pythagorae fuisse, pro subtilitatis ratione eam, quam igni siue calido aetheri opponebat, crassiorem materiam nunc vocare *frigidum aethera*, nunc vero *craſ-*

(f) Conf. IOH. CHRIST. WOLF. de Manich. ante Man. p. 116. seqq.

(g) ARISTOT. Metaphys. L. I. c. 5.

crassum, DIOGENES LAERTIVS testis est, qui quidem: καλῦσι δὲ τὸν μὲν ἀέρα ψυχρὸν αἰθέρα. τὴν δὲ θάλασσαν καὶ τὸ ὑγρὸν, παχὺν αἰθέρα. *vocant autem* (Pythagorei) *aërem frigidum aethera; mare autem & humidum, aethera crassum* (h). Quin & totum quatuor elementorum genus in ipsius Pythagorae inesse placitis, tam aperte idem DIOGENES testatur, vt cur Empedocli primo tribuendum sit istud inuentum plane non videam. En Diogenis verba: ὧν (τῶν σωμάτων) καὶ τὰ στοιχεῖα εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα. *Corporum etiam esse quatuor elementa: ignem, aquam, terram, aërem* (i). In ea quoque, quam a Zarata Chaldaeo Pythagoram accepisse Pseudo-Origenes dicit, ratione, expressa sit descriptionis istius quatuor elementorum mentio (k). Iam vero illud non minori fortasse cum probabilitatis specie dici posset, ipsam crassiorem materiam, ex Pythagorae sententia, animatam quodammodo esse, suoque proprio impelli motu. Atque si totum philosophiae Italicae genus ad vnius Empedoclis decreta liceret exigere, res confecta propemodum & explorata foret. Singula enim iste quatuor sua elementa non animata modo, sed diuina statuit, quocirca & deorum illa appellauit nominibus (l). Ita vero de Empedoclis ratione ci-

(h) L. VIII. f. 27.
(i) l. c. f. 25.
(k) PSEVDO-ORIG. c. 2. p. 41.
(l) PLVTARCH. l. c. L. I. c. 3. p. 263.

CICERO: *Empedocles multa alia peccans, in deorum opinione turpissime labitur: quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, diuinas esse censet* (m). Quam quidem eandem sententiam ipsi Pythagorae Plutarchus diserte tribuit: dyada enim, in qua materiae genus inesse Plutarchus putat, appellat daemonem; satis clare indicat, ex sua quidem sententia Pythagoram materiam animatam credidisse: πυθαγόρας (φησὶ) - - - τὴν ἀόριστον δυάδα δαίμονα καὶ κακὸν, περὶ ἣν ἐστι τὸ ὑλικὸν πλῆθος. *Pythagoras indefinitam dualitatem vocat daemonem & malam naturam: a qua proficiscitur multitudo corporearum rerum* (n). Haec quamuis prima specie mira & prorsus dubia cuipiam videri possint; a Pythagorae tamen ratione adeo vehementer ea abhorrere non putem. Pythagoras enim, cum hominum animas tribueret in duas, aut in tres omnino partes, in quarum altera ratio & prudentia insit: altera vero visis opinionibusque agitata, perturbationum animi causa existat: cumque nobiliori isti animae parti hoc ipsum mandet muneris, vt prauos inferioris partis impetus ratione coerceat & gubernet, quae quidem cuncta clarius postea aparebunt; neque prauos istos motus & τὸ φανταστικὸν καὶ δοξαστικὸν aliunde certe, quam a materiae crassioris partibus, quarum particeps est anima, potuit deriuare: neque vero in crassiori materia horum vitiorum cau-

(m) de N. D. L. I. c. 12.
(n) l. c. cap. 7. 266.

causam inesse decreuisset, nisi ex eius quidem sententia crassior materia, quamquam perturbato brutoque, motu tamen incitata, sensu quodam & opinatione gauderet. Suffragatur certe Plutarcho PSEVDO-ORIGENES: *δύο*, inquiens, *δαίμονας εἶναι, τὸν μὲν οὐράνιον, τὸν δὲ χθόνιον. καὶ τὸν μὲν χθόνιον ἀνιέναι τὴν γένεσιν ἐκ τῆς γῆς, εἶναι δὲ ὕδωρ· τὸν δὲ οὐράνιον πῦρ μετέχον τοῦ ἀέρος, θερμὸν καὶ ψυχρόν· Duos esse daemonas, coelestem alterum, & item alterum terrestrem: ex his terrestrem e terra subiecisse originem, esse vero aquam: coelestem autem esse ignem aëris participem, calidum & frigidum* (o) Daemonem istum terrestrem nil nisi vim brutam esse, quae in crassiori materia continetur, in promtu est: neque enim ex diuina natura quidquam admistum habet, sed ad vnam crassiorem materiam suam refert originem. Id quod ex eo etiam intelligitur, quod Pythagoram a ZARATA Chaldaeo istam rationem accepisse Pseudo-Origenes eodem loco dicit, quos duplicis eiusmodi daemonis contrarii patronos fuisse constat. Neque tamen putemus necesse est, Pythagoram omnino istas sententias Chaldaeis debere: hoc enim falsa ista opinione nititur, quasi Pythagoras totum orientem peragrasset. Atque vt eum statuamus Chaldaeos adiisse, hoc quidem placitum non cogit, vt quod in vniuersa Pythagorae disciplina, quae ab Aegyptiis, non vero a Chaldaeis, ma-

(o) c. 2. p. 41.

manauit, luculenter fundatum eſt. Quo loco Pythagorae veſtigia Plato perſecutus eſſe mihi videtur: quem non modo materiam ante etiam, quam mens ad eam accederet fingendam, perrurbato motu ferri cenſuiſſe conſtat: ſed & eandem illam materiam animatam eſſe, ſentiendique vim & φανταστικὸν καὶ δοξαστικόν τι in ea contineri ex Platonis ſententia, quidquid iam eruditus vir, IOH. CHRIST. WOLFIVS contra dicat (p), firmis probatum dari poſſe arbitror argumentis (q). Vt igitur Plato eam ipſam Pythagorae rationem de diuerſis animae partibus & de perturbationum origine atque cauſis fideliter ſeruaſſe videtur; ſic & hanc de materiae motu ſententiam, ac de ea, quae in materia craſſiori inſit, ſentiendi opinandique vi, ex ſchola Italica eum reportaſſe, non ſine cauſa putemus. Aparet tamen, Platonis aeque ac Pythagorae rationem multum a duplici orientalium deo differre: eſt enim terreſtris iſte daemon non natura quaedam ratione & intelligentia praedita, vt proprie deus poſſit appellari: ſed vis quaedam bruta, quae agitat & motu fert perturbato craſſiorem materiam.

§. VI.

(p) de Manich. ante Man. p. 133. ſeqq. conf. CVDWORTH. p. 235. ſeqq.
(q) conf. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 233. not. 16. p. 239. not. 25. p. 241. not. 28.

§. VI.

Eſt itaque Pythagorae Deus puriſſima velociſſimaque materiae pars, igneae naturae, rationis & intelligentiae compos, quae per reliquam craſſiorem materiam penetrando ſeſe, fractis huius perturbatis conatibus, ordinet, digerat & conſilio ac prudentia adminiſtret rerum vniverſam naturam. Quocirca eundem iſtum divinum ignem animam mundi vocari ſupra ex DIOGENE & SEXTO EMPYRICO didicimus (§. III.) Audiamus iam & reliquos auctores. CICERO de Pythagorae Deo: *Pythagoras*, inquit, *qui cenſuit, animum eſſe per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo noſtri animi carperentur, non vidit, diſtractione humanorum animorum diſcerpi & lacerari Deum* (r). Hinc vniuerſus mundus, diuinitate perfuſus, diuinaeque naturae particeps, ἐμψυχὸς, *animatus* eſt, καὶ νοερὸς, & *intellectu praeditus* (s). LACTANTIVS, Ciceronem, vt videtur, ſecutus; *Pythagoras ita definiuit, quid eſſet Deus: animus, qui per vniuerſas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffuſus: ex quo omnia, quae naſcuntur, animalia vitam capiunt* (t), Cum quibus plane conſentit, quod eſt de Pythagoreorum Deo apud CLEMENTEM ALEXANDRINVM aliosque: οἱ (πυθαγόρειοι)

(r) de N. D. L. I. c. XI.
(s) DIOG. LAERT. L. VIII. ſ. 25.
(t) de falſa relig. L. I. §. 5.

φασιν, ὁ μὲν θεὸς εἷς· χ’ οὗτος δὲ οὐχ’ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τᾶς διακοσμήσιος, ἀλλ’ ἐν αὐτᾷ ὅλος, ἐν ὅλῳ τῷ κύκλῳ ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος, κρᾶσις τῶν ὅλων, ἀεὶ ὢν, καὶ ἐργάτας τῶν αὐτοῦ δυναμίων καὶ ἔργων ἁπάντων, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις τῷ ὅλῳ κύκλῳ, πάντων κίνασις. *Pythagorei dicunt, Deum quidem vnum eſſe, non ita tamen, vt quidam opinantur, quaſi ſit extra mundi adminiſtrationem, ſed eſt totus in ipſa, in toto circulo, ſpeculator totius generationis, vniuerſorum contemperatio, qui ſemper eſt & ſuas facultates deducit ad opus, omniaque opera efficit. Illuſtrator in coelo, pater omnium, mens & animatio totius Circuli, omnium motus* (u). Quae verba, quamvis PETR. BAYLIVS ad honorem Pythagorae conuertat, neque quidquam putet de Deo dici poſſe, quod ſit magis egregium (w); omnis tamen iſta facile euaneſcet praeclara opinio, ſi quidem non tam ſplendida verba, quam ipſam Pythagorae mentem ſpectemus. Nihil enim in his ineſt Clementis verbis, niſi, quod antea iam vidimus, Deum eſſe partem vniuerſi, eundemque fundi & intendi per vniuerſam rerum naturam ita, vt in eo omnis vita motusque proxime verſetur. Idem hoc Pythagoreum fragmentum Anaxagorae rationibus tam aperte oppoſitum eſt, vt ab eruditiſſimis viris id obſerva-

(u) CLEMENS ALEX. apud BAYL. voc. PYTHAG. not. O.
(w) BAYL. l. c.

vatum non esse sane mirer. Etenim, quinam tandem sunt illi, qui putant Deum esse ἐκτὸς τᾶς διακοσμήσιος? In neminem certe cadunt haec verba, nisi in Anaxagoram, qui Deum, remotum a vinculis materiae, vacantemque omni corpore extra vniuersum materiae complexum, siue extra chaos versatum esse, atque postea demum, iudicio & voluntate vsum, accessisse ad describendam materiam, statuit. Hinc intelligitur, cum, fragmentum istud non ab ipso Pythagora, sed a quodam discipulorum suorum, mentem tamen magistri praeclare exponente, profectum esse; tum vero, recte & vere Deum ex mente Pythagorae dici intextum implicatumque esse vniuersitati rerum tamquam nobilissimam partem: quod sane malignitatem Pythagoreae theologiae satis coarguit. Atque ipsa etiam Dei Pythagorici natura, qualis sit, in iisdem verbis haud obscure declaratur, subtilissimus nimirum ignis siue aether, vnde coelestia corpora nata genitaque sunt: id enim est, quod Deus vocatur ἐν ὠρανῷ φωστήρ. Peiora in voce κύκλος, postea videbimus. Quo quidem loco Pythagoras, quanta cautione sit opus, illustre documentum esse potest, ne bonis temere verbis credamus eorum, qui e re sua iudicant esse, studiose tegi animi sui sensus. Nihil solemnius enim isti hominum generi consueuit esse, nisi vt bene loquendo male sentiant: quae quidem artes tantum nonnunquam proficiunt, vt prudentes etiam viri, verborum magnificentia de-

cepti, longe alias de istis animo cucipiant opiniones, quam res ipsa patitur. Adeo enim Pothagorei illa verborum specie ceperunt non veteris modo ecclesiae Patres, sed ipsos iam recentioris memoriae quosdam eruditos viros, vt Pythagoreorum theologicam rationem comparari non solum & contendi cum sacrarum litterarum oraculis posse, sed & totam ex his desumtam esse & translatam arbitrarentur. Quod quam alienum sit veritatis, & ea comprobant, quae adhuc disputauimus, & inde magis etiam confirmatur, quod Pythagoras Deum, quamuis ratione & prudentia gubernet cuncta, ita tamen illigauit rerum naturae & cum ea copulauit, vt necessitatis fatalibus legibus subiectus, non iudicio & libertate, sed ita mundum administret, prout ista iubent & ferunt fata. Nec igitur secundum Pythagoram aliter Deus ratione & prudentia vtatur, nisi vt ferat & faciat, quod per fati leges nec mutari nec aliter fieri potest. Atque ipsa quidem Clementis Alexandrini verba haud leuem nobis huius rei suspicionem afferre possint, quae non modo Anaxagorae rationi a Pythagoreis opposita fuisse iam monuimus; sed quibus etiam, Deum, ex Pythagorae sententia illigatum mundo & inclusum, ita administrare machinam, vt omnis naturae CIRCVLVS, id est, totius vniversi continuatio & cohaerentia secum fert, aperte indicatur. Quae vero reliqui auctores hoc loco de Pythagorae tradunt disciplina, expeditiorem etiam aditum ad cognoscendos occultos pestiferos-

ferosque illius de fato sensus videantur recludere. DIOGENES LAERTIVS certe disertis verbis de Pythagoreorum ratione: εἱμαρμένην τε τῶν ὅλων εἶναι, καὶ τὰ κατὰ μέρος, αἰτίαν τῆς διοικήσεως. *Fatum quoque vniuersorum & eorum, quae sunt per partes, administrationis causam esse* (x). Quod si hoc loco vulgarem sequamur codicum lectionem, nihil magis potest esse perspicuum, quam non vniuersum modo mundum, sed singulas etiam eius partas Pythagoram fato subiecisse. Vult tamen CASAVBONVS omitti articulum τὰ; vt haec fere vis verborum sit, *fatum ex parte tantum causam administrationis mundi esse* (y). Sed vt haec ita sint, nihil tamen faciunt ad purgandum Pythagoram. Omnino enim fatum istud ex parte tantum causa eorum dici potest, quae in mundo accidunt, quamuis secundum illud reapse omnia contingant: accedit enim altera causa, mens nimirum & ratio, quae his ipsius fati legibus conuenienter ornatum mundi instituit perficitque. Idem vero DIOGENES de anima: τὴν ψυχὴν, inquit, κύκλον ἀνάγκης ἀμείβουσαν, ἄλλοτε ἄλλοις ἐνδεῖσθαι ζώοις. *Animam* CIRCVLVM NECESSITATIS *immutantem aliis alias illigari animantibus.* (z). Habemus igitur hoc loco vniuersam Pythagorae rationem, qua is putarit naturae produci ac perfici euenta, Necessariae aeternaeque causarum continuationi, quarum aliae ex aliis nexae

 aptae-

(x) L. VIII. §. 27.
(y) CASAVBON. ad DIOG. l. c.
(z) l. c. §. 14.

aptaeque, circulum quendam neceſſitatis conſtituunt, illigata ſunt omnia: neque aliter fieri poſſunt, niſi vt iſtae permittunt & poſtulant neceſſitatis fatales leges. Atque ex his quidem Diogenis verbis ipſe interpreteris, quaeſo, lector, iſtum naturae vniuerſae circulum, cui Deum ex Pythagorae ſententia ipſum implicatum eſſe ſupra Clementis Alexandrini auctoritas nos docuit. Suffragatur deinde huic rei PLVTARCHVS: πυθαγόρας ἀνάγκην ἔφη περικεῖσ[illegible] τῷ κόσμῳ: *Pythagoras inquit neceſſitate p[illegible]i mundum* (a). Nec inique acturos nos putamus eſſe, cum qualis iſta fuerit Pythagorae neceſſita[illegible] ex Parmenidis & Democriti diſcere audeamus ratione, quorum hunc quidem multis locis Pythagoram eſſe ſecutum, ſupra obſeruauimus: illum vero in his, quae ſecundum ſenſus philoſophabatur, Pythagorae auctoritatem pene integram retinuiſſe, infra declarabitur. De his igitur ita PLVTARCHVS: παρμενίδης καὶ δημόκριτος πάντα κατὰ ἀνάγκην· τὴν αὐτὴν δὲ εἶναι καὶ εἱμαρμένην, καὶ δίκην, καὶ πρόνοιαν, καὶ κοσμοποιόν. *Parmenides & Democritus* (volunt) *omnia contingere ſecundum neceſſitatem: eandemque eſſe etiam fatum, & legem conſtitutam, & prouidentiam, & effectricem mundi* (b). In neceſſitate autem eiusmodi aeternas, inuictas ineuitabilesque rerum cauſas & vires intelligere, quae nec ipſi iam diuinae potentiae pareant aut ſubiectae ſint, non Parmenidi modo aut Democrito, ſed cunctis fere pri-

(a) de Pl. Ph. L. I. c. 25. p. 269.
(b) PLVTARCH. l. c.

priſcis philoſophis tam fuit ſolemne, vt ipſe Plato, qui caeteroquin plurimum libertatis Deo in producendo mundo reliquit, illi tamen neceſſitati non nihil daret loci, cui vincendae & immutandae ne ipſe quidem Deus par ſit. Ita enim eſt apud PLVTARCHVM: πλάτων τὰ μὲν εἰς πρόνοιαν ἄγει, τὰ δὲ εἰς ἀνάγκην. *Plato quaedam ad prouidentiam refert, quaedam ad neceſſitatem* (c) & paullo poſt: οἱ ϛωικοὶ πλάτωνι ἐμφερῶς, καὶ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητόν φασιν αἰτίαν καὶ βιαϛικήν. *Stoici eodem fere modo, vt Plato, neceſſitatem vocant inexpugnabilem violentamque rerum cauſam* (d). Ipſius Platonis, quae paſſim in operibus eius occurrunt, teſtimonia proferre, in re minime dubia ſuperſedeo. Huius autem neceſſitatis fontem & ſedem in materia Plato quaerens, ita malignam prauamque eam ponit, vt a diuina bonitate non omnino vinci corrigique queat: vnde malorum omnium origo, quae itaque ſecundum neceſſitatem accidant (e). Sed vt quisque philoſophorum arctiſſime intimeque Deum cum natura & mundo tamquam partem copulauit, ita eundem maxime naturae perpetuitati inexpugnabilique continuationi cauſarum ſtatuit implicitum eſſe: vt fata iam ipſi Deo dominentur, nec is aliter poſſit, etiamſi velit, quam aeternae ferunt neceſſitatis leges. Stoi-

(c) l. c.
(d) l. c. cap. 27.
(e) conf. BRVCK. l. c. L. II. c. 6. §. 19. p. 648.

corum hanc impietatem esse, prae caeteris clarissime IAC. THOMASIVS demonstrauit (f). Quamquam autem Stoici necessitatem atque fatum nomine discernebant; re tamen ipsa vtrique eos eandem tribuisse vim, vel ex PLVTARCHO perspicuum est: οἱ στωικοὶ - - - - τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητόν φασιν αἰτίαν καὶ βιαστικὴν, τὴν δὲ εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην. *Stoici necessitatem dicunt esse caussam inexpugnabilem violentamque: fatum autem connexionem constitutam caussarum* (g). Has deinde ipsas caussas, quarum continuatio fatum efficit, ἀνικήτους esse & βιαστικὰς, vt inde necessitas exoriatur inexpugnabilis, idem PLVTARCHVS paullo post aperte confirmat: οἱ στωικοὶ, inquiens, εἱρμὸν αἰτιῶν, τουτέστι τάξιν καὶ ἐπισύνδεσιν ἀπαράβατον. *Stoici* (naturam fati esse dicunt) *progressionem caussarum, hoc est, ordinem & compositionem earum*, QVAE MIGRARI NEQVIT (h). Heraclitus certe idem sibi esse fatum & necessitatem palam professus est: Ἡράκλειτος πάντα καθ᾽ εἱμαρμένην, τὴν δὲ αὐτὴν ὑπάρχειν καὶ ἀνάγκην. *Heraclitus* (putat) *omnia fato accidere, illudque ipsum etiam esse necessitatem* (i). Fallunt Stoici, quando nonnunquam fatum istud a Deo esse, immo ipsum illud diuina ratione contineri

(f) de Exust. mund. Stoic. Dissert. XIII. p. 166. seqq.
(g) l. c. cap. 27.
(h) l. c. cap. 28.
(i) Plutarch. l. c. cap. 27.

ri, affirmant (k): quod quidem & ipſum Heracliteum eſt. Is enim apud PLVTARCHVM fati naturam appellat, λόγον, τὸν διὰ τῆς ὀσίας τȣ͂ παντὸς διήκοντα, *rationem*, *quae per vniuerſi naturam tranſit* (l). Neque enim aliam ob cauſam ita Stoici videntur locuti eſſe, niſi quod iſtam ineuitabilem cauſarum euentuumque continuationem aeternam & ad opus vi ſua deducat Deus, & perfectiſſime intelligat, iſtique neceſſitatis torrenti lubens ita obſequatur, ne opinionibus perturbationibusque indulgens, contra flumen nitendo, aliud quid conetur efficere, quam quod fatum & poſtulat & patitur. Quocirca Stoicorum quidem Deus nonniſi miniſter eſt fatorum, ita gubernans vniuerſam rerum naturam, eoque tendens, quo fata ferunt. Etenim cum in noſtro mundo Stoici alias res ſemper ex aliis nexas pendentesque viderent; in eum inciderunt grauiſſimum errorem, vt hunc ipſum, qui nunc eſt, rerum concentum neceſſitate putarent contineri: neque fieri quidem poſſe, vt alius quidam cauſarum ordo ſeriesque inſtituatur: quod quidem τὸ ψεῦδος πρῶτον impietatis Stoicae eſt. Sed de Stoicis alii, iique complures, copioſius. Iam vero illud ſumma gaudet probabilitate, ab ipſo Pythagora ex intimisque Pythagoreorum decretis Heraclitum atque Stoicos iſtam accepiſſe fati & neceſſitatis ra-

(k) conf. IAC. THOMASIVS l. c. §. 17, ſeqq.
(l) l. c. cap. 28.

rationem. Etenim praeterea, quod vniuerſae rerum naturae neceſſitatem praeficere Pythagoram ante iam vidimus; Deum idem aeque arcto intimoque vinculo naturae totius circulo illigat ac Stoici, atque fatum, quod itidem ſupra audiuimus, apud Diogenem plane Stoicorum more vocat *αἰτίαν τῆς διοικήσεως*, *cauſam adminiſtrationis mundi.* Neque, cum Pythagoras, THEOPHILO ANTIOCHENO teſte, Deum dixit *Φύσιν καὶ αὐτοματισμὸν τῶν πάντων*, *naturam atque propriam cauſam motionis* (m), aliud quid iſte putandus eſt indicaſſe, niſi quod & Stoici poſtea dicebant, Deum eſſe naturam, atque cuncta nomina illi aptari poſſe, quae vim aliquam atque effectum coeleſtem contineant (n). Videamus iam, quid aurea, vt vocantur, Pythagorae carmina doceant de fati natura. Haec vero ad hunc referuauimus locum, quia totius in iis diſputationis noſtrae ſumma elegantiſſime explicatur. Hoc igitur modo iſtorum carminum auctor:

Ὅσσα τε δαιμονίῃσι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν
ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, πρᾴως φέρε μηδ' ἀγανάκτει.
Ἰᾶσθαι δὲ πρέπει, καθόσον δύνῃ· ὧδε δὲ φράζευ·
οὐ πάνυ τοῖς ἀγαθοῖς τούτων πολὺ μοῖρα δίδωσι.

Quaſ-

(m) ad AVTOLYC. L. III, c. 5: conf. BRVCK. l. c. p. 1075.
(n) SENEC. de Ben. L. IV. c. 7.

Quasque diuina ſorte homines calamitates habent.
earum, quantumcumque tibi fato datum eſt, leniter fer, nec indignare.
Mederi tamen illis decet, quantum potes. ſic vero cogita:
non admodum multum bonis viris Parca de illis tribuit (o).

In his verbis quis non videt humanas res fato ſubiici? a diuina autem ſorte proficiſci fatum dicunt carmina, quia Deus, miniſter fatorum, ita gubernat mundum resque humanas, vt illa iubent. Atque, quamuis calamitatibus fato datis mederi ſapientis ſit, QVANTVM POSSIT, praecipua tamen vnaque medicina eſt, ita probare naturae ordinem, vt moderate feras, lubensque nec inuitus ſequaris, quae aeternis immutabilibusque conſtituta ſunt neceſſitatis legibus. Hinc vero & illud intelligitur, quo ſenſu fortaſſe ANONYMVS apud PHOTIVM nonnullas animo humano relinquat libertatis partes (p): multa enim velle poteſt hominis animus, multa niti; ſed nihil agit homo, cum contra fata nititur, niſi vt infelix nequidquam crucietur perturbationibus mentis: quod quidem ipſum ſecundum Pythagorae ſententiam miſeriae humanae fons atque origo eſt, cum viſis decepti occoecatique cupiditatibus homines, naturae ordinem nec vi-

dent

(o) v. 17. ſeqq. p. 4. Edit. SCHIERII.
(p) apud BRVCK. l. c. §. 24. p. 1084.

dent, nec probant. Sed de hac re poſtea copioſius, cum ad ſummum bonum Pythagorae peruentum erit. Fortunam autem, ex qua nonnullos euentus rerum, quae infra lunam ſunt, pendere & proficiſci idem Anonymus confirmat, recte fortaſſe totam ad Stoicorum placita referemus. Inania enim verba ſunt, quidquid Stoici de fortuna diſputarunt, in qua intellexerunt aliud nihil, praeterquam ſeriem cauſarum, quae hominibus incognitae ſint (q). Quocirca CICERO etiam Stoicis recte obiicit, nihil poſſe eſſe fortunam ex ipſorum ſententia, qui omnia fato contineri putent (r).

§. VII.

Ab vniuerſa diuina natura, ſeu a diuino iſto igne, totius mundi compagem penetrante animanteque diuerſas fluxiſſe deorum daemonumque claſſes, Pythagoras, ſtolida polytheismi opiniones vt reliqui gentium ſapientes, ductus, arbitratus eſt. Quod quale ſit ſecundum Pythagorae rationem, ex iis facile exiſtimari licet, quae adhuc dicta ſunt. Eſt enim ſubtiliſſimum iſtud puriſſimumque naturae corpus, divinus nempe calor, in omni rerum natura fuſum, omnibus rebus largiens vitam. Neque tamen vbique in ſingulares ſeparataſque naturas tributus eſt iſte calor; ſed in nonnullis corporibus, vt in plantis, indiuiduus quaſi & conti-

(q) PLVTARCH. l. c. cap. 29.
(r) CIC. de Diuin. L. II. c. 7. ſeq.

tinuus inest: quo quidem sensu distinxisse Pythagoras vitam ab anima videtur, quod testatur DIOGENES LAERTIVS: Ζῆν μὲν πάντα, ὅσα μετέχει τῦ θερμῦ. διὸ καὶ τὰ φυτὰ ζῶα εἶναι. ψυχὴν μέν τοι μὴ ἔχειν πάντα - - - - - - διαφέρειν τε ψυχὴν ζωῆς. *viuere item omnia, quae caloris participent, atque ideo & plantas esse animantes: animam tamen non habere omnia - - - - differre autem a vita animam* (s). Tum vero demum deorum diuersi ordines prodierunt, cum ex vniuersa diuina natura partes quasi quaedam decerptae delibataeque sunt, quae per se & sua natura existentes certis praesunt negotiis. Vt autem in vnoquoque siue deo siue daemone calor seu aether maxime superat, eo nobilior est; cum contra, quo quisque plus crassioris materiae admistum habet, hoc est deterioris conditionis. Quocirca & sol reliquaque astra, quod a terra longissime absunt, calorque in iis vel maxime dominatur, dii sunt; inferiores vero diuinae naturae, terrae propiores, daemones modo & heroes nuncupantur. Hinc coelestes regiones solae immortalitatis sedes sunt: terrae autem quaeque proxima, propter abundantiam impurioris materiae caduca sunt & mortalia: quam quidem totam rationem pulcerrime declarat DIOGENES: τόν τε περὶ τὴν γῆν ἀέρα, inquiens, ἄσειστον καὶ νοσερὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα, θνητά. τὸν δὲ ανωτάτω, ἀεικίνητόν

(s) L. VIII. f. 28.

τόν τε εἶναι, καὶ καθαρὸν, καὶ ὑγιᾶ· καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτῷ ἀθάνατα, καὶ διὰ τοῦτο θεῖα. ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ τοὺς ἄλλους ἀστέρας εἶναι θεοὺς, ἐπικρατεῖ γὰρ τὸ θερμὸν ἐν αὐτοῖς, ὅπερ ἐστὶ ζωῆς αἴτιον. *Eum, qui terram complectitur aëra, immotum ac morbidum, & quae in illo sunt, omnia esse mortalia: summum vero semper moueri, & esse liquidissimum ac saluberrimum, & quae in eo sunt, immortalia omnia, atque idcirco diuina. Solem item & lunam & reliqua sidera deos esse; quippe in illis superare calorem, qui sit vitae auctor* (t). Hinc & terram, hominum domicilium, *locum* CICERO vocat, *diuinae naturae aeternitatique contrarium* (u): & in aureis carminibus daemones, infima diuorum classis, καταχθονίων nomen gerunt. Infimae nimirum hi daemones sortis, dii tamen quodammodo sunt, qui diuinae naturae participes in eo tantum superioribus diis cedunt, quod materiae crassioris contagione infecti perturbationibusque obnoxii ea non fruantur tranquillitate, qua superiores dii. Hanc differentiam daemonum atque deorum vel praecipuam ponebant iuniores Platonici (w); neque eam sententiam ab ipsius Pythagorae mente alienam esse inde suspicor, quod

(t) l. c. f. 26.

(u) de sen. c. 21. conf. ANON. PHOTII apud BRVCK. l. c. § 24. num. 13, 14. p. 1084.

(w) conf. GOTTFR. OLEARIVS in dissert. de gen. Socr., apud STANLEI. p. 134.

quod ad hanc inferiorum diuorum claſſem, heroas ſcilicet & daemones, omnes expiationes Pythagoram, totumque placaminum genus retuliſſe DIOGENES auctor eſt: *εἰς δὲ τούτους (δαίμονας καὶ ἥρωας) γίνεσθαι τοὺς καθαρμοὺς, καὶ ἀποτροπιασμοὺς*, *ad hos* (daemones & heroes) *referri luſtrationes & expiationes* (x). Aperte enim his verbis illud videtur ſignificari, quod Stoici poſtea, aliique philoſophorum adſciuerant, ſupremum deum neque iraſci, neque placamina deſiderare. Quare expiationum genera Pythagoras iis ſolum diuorum claſſibus conuenire putauit, qui & irae & reliquis cupiditatibus indulgentes, placatione egeant, ne inferant damnum: vix enim, qui veram ſacrificiorum expiationumque rationem atque cauſam ignorant, aliter ſentire poſſunt. Atqui ipſam craſſiorem materiam fontem & cauſam perturbationum aegritudinumque animi eſſe, poſteà pateſiet, cum ad animae humanae naturam explicandam diſputatio erit perducta; quare & daemonum deteriorem conditionem materiae craſſiori Pythagoras adſignaſſe intelligitur. Quod ad ordinem diuorum attinet, alia ratione Diogenes eum conſtituit (y); alia, aurea carmina: ille enim daemones praeponit heroibus; haec autem heroibus ſuperiorem adſignant locum. Hoc vero diſcrimen inde eſſe ortum mihi vide-

(x) l. c. ſ. 32.
(y) l. c. ſ. 23.

detur, quod prisci Pythagorei, parum interesse inter heroas atque daemones putantes, promiscue eos nec vllo accurato seruato ordine, posuerint. Id enim ex eo intelligi posse arbitror, quod Diogenes alio loco cultum diuorum ex Pythagorae sententia exponens, daemones plane omittit, duabus tantum classibus commemoratis, superiorum scilicet deorum atque heroum (z). Quin & plane eiusdem naturae heroes & daemones esse, inde maxime perspicuum est, quod vtrosque idem Diogenes vno complectens nomine, ψυχὰς, *animas*, eos vocat (a). Plutarchum vero si audiamus; in hoc differunt daemones atque heroes, quod illi quidem vniuersum quoddam genus naturarum intelligentium constituant: hi vero pars quasi quaedam, generi subiecta, animae nimirum humanae sint a corporibus separatae: *θαλῆς, πυθαγόρας, πλάτων, οἱ στωικοὶ, δαίμονας ὑπάρχειν ὀυσίας ψυχικάς. εἶναι δὲ καὶ ἥρωας, τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων, καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθὰς· κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. Thales, Pythagoras, Plato, Stoici* (putant) *daemones esse naturas animae similes: esse autem & heroes, separatas scilicet a corporibus animas, & bonos quidem heroes fieri bonas animas, malos vero improbas* (b). Daemones igitur & bonos heroes hinc coniicimus aequali honore apud Pythagoram valuisse. Cuncta haec si colligamus, sequitur

(z) l. c. f 33.
(a) l. c. f 32.
(b) de Pl. phil. L. I. c. 4.

tur illud, cum Pythagoram Homero Hesiodoque iratum fuisse Diogenes Laertius commemorat, vt quos propter suas de diis fictiones poenas dantes apud inferos se vidisse dixerit, (c); non ad ipsam deorum multitudinem pertinere hanc reprehensionem: sed ad turpes tantum offensionisque plenas poetarum fabulas. Etenim de deorum infinito numero eadem stultitia laborasse Pythagoram, qua Homerus Hesiodusque, aparet.

§. VIII.

Expositis igitur, quae de vniuersa rerum natura & generatione videtur sensisse Pythagoras, tentemus iam exquirere, quam idem in numeris vim inesse voluerit: horum enim signis ad explicandam, seu, quod verius dici possit, obscurandam rationem suam Pythagoram esse vsum, in vulgus notum est. Tantis autem numerorum ratione suam mentem, siue imprudens, siue de industria inuoluit tenebris, vt eruditissimus quisque omnis propemodum aetatis historiae philosophicae interpres explicationem Pythagoricae disciplinae fere desperaret. Accedit quorundam interpretum ineptum genus, qui summa, nescio quae, mysteria in Pythagorae numeris quaerendo, ea penitus incerta reddiderunt, quae fortasse per se quodammodo plana fuissent atque facilia. Sed quo, in tantis tenebris

(c) l. c. f. 21.

circumspecte progrediendo, ad interiorem theologiae Pythagoricae rationem, quam fieri potest, proxime coniectura accedamus; id primum teneamus, non tam amentem fuisse Pythagoram, qui ipsos numeros per se esse rerum principia atque causas voluerit. Inter vetustiores enim pariter atque iuniores interpretes plane conuenit, numeris Pythagoram nonnisi signis vsum esse ac symbolis earum rerum, quae per se in oculos non incurrunt, ideoque animo tantum possunt comprehendi & intelligi (d). Deinde vero rerum aeternas formas, quas Plato ideas appellauit, Pythagoras in numeris suis intellexisse mihi quidem non videtur. In hanc tamen numerorum Pythgoreorum explicationem cum post iuniores Platonicos nonnulli recentioris etiam memoriae longe eruditissimi viri incidissent (e); maiori eandem celeber. BRVCKERVS, quam ante eum quisquam, ingenii & eruditionis apparatu exornare conatus est (f). Singula equidem praestantissimi viri, ex quibus id, quod vult, effici putat, argumenta excutere, meum esse in praesentia non arbitror, qui non tam confutare aliorum sententias, quam meas qualescunque coniecturas confirmare apud animum propositum habeam: vel duobus tamen ver-

(d) Conf. STANLEI. P. VIII. p. 720.
(e) Vid. IOH. CHRIST. WOLF. not. ad. orig. philos. p. 31.
(f) Amoenit. lit. T. VII. p. 173. seq. conf. Hist. phil. crit l. c. §. 18. p. 1046. seqq.

verbis caufas exponere diffenfus mei, non alienum erit. Ac primo quidem loco, quaecunque eruditiffimus vir in medium affert, vt numerorumPythagoreorum cum ideisPlatonicis conuenientiam probatam daret, ea iuniorum Platonicorum auctoritate magnam partem nituntur: me vero huic hominum generi fidem vti tribuam, ab animo meo impetrare non poffe, quos in explicandis vetuftorum philofophorum, Pythagorae inprimis, decretis peffime fummaque malitia verfatos effe, ipfe per integros propemodum duos priores hiftoriae philofophicae tomos demonftrare tanto conatu fategit: in eo ignofcet venerand. Vir haefitationi meae. Nec, fi quidem fcholae Alexandrinae fufpectas demas explicationes, tam euictum plaumque eft, vt celeber. fibi vir perfuadet, *eidem fundamento inaedificaffe & Pythagoram numeros, & Platonem ideas, nempe emanationi rerum fiue entium fpiritualium, eorumque variorum ordinum ex fummo Deo, eodemque modo definiuiffe & diftinxiffe* &c. (g). Etenim ea, quamPythagoreae phyfiologiae ex auctorum fide dignorum teftimoniis ipfe dedit, delineatio, entibus eiusmodi fpiritualibus, quae Plato poftea introduxit, nihil in Pyrhagorae difciplina loci relictum effe, abunde docet. Quod quidem ipfum fecundo loco obferuari velim, totum fcilicet iftud idearum genus, cum fine mente illa incorporali fimplicique, quam Anaxagoras Graecorum primus tradidit, fibi non

(g) Hift. phil. crit. l. c.

conſtet, in Pythagorae rationem plane non convenire. Sunt enim ideae effluxiones quaedam ex pura mente, itidem incorporales ab omnique materia procul remotae. Pythagoras igitur qui poſſet, quaeſo, idearum ſpinoſas quaeſtiones inſtituiſſe, cum tamen eiusmodi mentem in ſua diſciplina plane ignoraret. Hinc & Timaeum Locrum videmus, a quo Platonem ideas ſuas accepiſſe aparet, hac in parte Anaxagorae ſecutum eſſe auctoritatem, &, quo idearum ſibi conſtaret ratio, eandem probaſſe mentis effectionem, quam Anaxagoras docuerat. Qua tamen ipſa in re Timaeum a reliquorum Pythagoreorum ſententia longiſſime diſceſſiſſe, ſupra iam obſeruatum eſt. Senſit hanc difficultatem ipſe eruditus vir, qui propterea has Pythagorae ideas, ſiue numeros, non plane a corporearum ſiue ſenſibilium rerum genere remoueri, neque eas ad Platonicorum dicta omnino exigi vult (h). Verum hoc ipſo totum idearum genus ex Pythagorae diſciplina tollitur, neque numeri Pythagorici ideae putari poſſunt, niſi huic idearum voci plane alienam omnibusque priſcis ſcriptoribus ignoratam vim ſubiicere velis. Quod iam eruditiſſimus BRVCKERVS arbitratur, ***ad liberandum ex corporis vinculis animum numeros Pythagoram obiectum conſtituiſſe, vt Platonem ideas, finemque cognitionis numerorum & idearum vtrumque eundem poſuiſſe, Deo nimirum fieri ſimilem, immo ipſum fieri deum***; id quidem ad

(h) l. c. p. 1079.

ad probandam numerorum & idearum conuenientiam quidquam facere non putem. Etenim Stoicis in cognitione ordinis naturae idem fuisse propositum, quod Platoni in cognitione idearum, quis ignorat? Nemo tamen inde concludere vellet, naturae ordinem secundum Stoicos, atque ideas Platonis vnam eandemque rem esse. Ac Pythagorae numeros omnino ad Stoicorum potius rationem referendos esse, quam ad Platonis, mox videbimus. Denique si nobile istuc philosophiae Pythagoricae caput de numerorum ratione singulare quidquam contineret, quod a reliqua disputatione de generatione rerum, vt supra illa est exposita, seperatum esset; cur quaeso a discipulis Pythagorae ita esset illud praetermissum, vt nullum eius in horum sententiis appareat vestigium? Nihil enim in vetustiorum Pythagoreorum placitis inest, quod idearum significet rationem. Quae vero celeber. BRVCKERVS passim huc transfert, ea quidem longe aliam explicationem & pati & postulare, partim de Ocello Lucano supra iam obseruauimus, partim de reliquis Pythagoreis deinceps patefiet. Hos autem aperte & perspicue de ideis exponere oportuisset, si quidem eas a Pythagora accepissent: *relicta enim obscura per numeros philosophandi methodo, de rerum naturalium caussis* ἁπλῶς *magis & aperte mentem suam exposuisse*, ipse eximius vir testatur (i).

I 4 §. IX.

(i) l. c. p. 1123. seq.

§. IX.

Vt igitur meas de Pythagorae numeris coniecturas ipſe proferam, primum quidem, non ad vnam quandam naturae partem, ſed ad generationem mundi vniuerſi numerorum rationes Pythagoram tranſtuliſſe, tam perſpicuum eſſe arbitror, quam quod maxime: niſi vetuſtiorum ſcriptorum auctoritatem omnium eleuare aut omnino tollere in gratiam iuniorum Platonicorum conſultum ducamus. Quod vt apareat, qui ſine partium ſtudio Pythagorae decreta expoſuiſſe putantur, ſinguli audiendi ſunt. DIOGENES LAERTIVS igitur ita rem expedit: ἀρχὴν μὲν τῶν ἁπάντων μονάδα· ἐκ δὲ τῆς μονάδος, ἀόριστον δυάδα, ὡς ἂν ὕλην τῇ μονάδι αἰτίῳ ὄντι ὑποστῆναι. ἐκ δὲ τῆς μονάδος καὶ τῆς ἀορίστου δυάδος, τοὺς ἀριθμούς· ἐκ δὲ τῶν ἀριθμῶν, τὰ σημεῖα· ἐκ δὲ τούτων τὰς γραμμάς, ἐξ ὧν τὰ ἐπίπεδα σχήματα· ἐκ δὲ τῶν ἐπιπέδων τὰ στερεὰ σχήματα· ἐκ δὲ τούτων τὰ στερεὰ σώματα, ὧν καὶ τὰ στοιχεῖα εἶναι τέτταρα, πῦρ, ὕδωρ, γῆν, ἀέρα. *Principium quidem omnium eſſe vnitatem: porro ex vnitate indefinitam dualitatem, veluti materiam auctori vnitati ſubieciſſe. Ex monade vero ac indeterminata dualitate numeros gigni: ex numeris puncta: ex punctis lineas, ex quibus planae figurae conſtent. Ex planis autem ſolidas figuras: ex quibus item ſolida conſiſtere corpora, quorum & quatuor elementa eſſe, ignem, aquam, ter-*

terram, *aërem* (k). Vides, per haec quae Diogenes commemorat, nullum plane dubium esse posse, quin Pythagoras numeris suis totius mundi omniumque corporum generationem explicare instituerit. Consentit cum Diogene PLVTARCHVS: πάλιν δὲ, inquiens, ἀπὸ ἄλλης ἀρχῆς πυθαγόρας - - - - - - ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς (ἐνόμιζε) καὶ τὰς συμμετρίας, τὰς ἐν τούτοις, ἃς καὶ ἁρμονίας καλεῖ, τὰ δὲ ἐξ ἀμφοτέρων σύνθετα στοιχεῖα, καλούμενα δὲ γεωμετρικά. πάλιν δὲ τὴν μονάδα, καὶ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς. σπεύδει δὲ αὐτῷ τῶν ἀρχῶν, ἡ μὲν ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικὸν, ὅπερ ἐστὶ νοῦς ὁ θεὸς, ἡ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε καὶ ὑλικὸν, ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος. *Ab alio initio* (progreditur) *Pythagoras - - - - - - principia enim statuit numeros & eorum conuenientiam consensumque, quam etiam harmoniam vocat: quae vero ex vtrisque* (numeris & harmonia) *composita sunt, elementa esse dicit, quae quidem vocentur geometrica. Item postea vnitatem & indefinitam dualitatem in principiis Pythagoras refert. Pertinet vero secundum eum principiorum illud quidem* (vnitas) *ad causas efficientium & intellectualium rerum, qualis est mens, id est, Deus: hoc autem* (dualitas) *ad materiam quae efficitur aliquid, qualis est adspectabilis mundus* (l). Nemo in his verbis temere aliud quid inesse suspicabitur, nisi generationem vni-

(k) l. c. §. 25.
(l) de Pl. Phil. L. I. c. 3. p. 262.

verſae naturae. Idem PLVTARCHVS alio loco: πυθαγόρας, inquit, τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν κ̀ τ'ἀγαθὸν, ἥτις ἐςὶν ἡ τῦ ἑνὸς φύσις, αὐτὸς ὁ νῦς· τὴν δὲ ἀόριςον δυάδα, δαίμονα κ̀ τὸ κακὸν, περὶ ἣν ἐςι τὸ ὑλικὸν πλῆθος, ἔςι κ̀ ὁρατὸς ὁ κόσμος. *Pythagoras principiorum alterum, vnitatem ſcilicet, Deum vocat, & quidem bonum, qualis eſt natura vnitatis, ipſaque mens: alterum vero, dualitatem, daemonem ſtatuit & malum, per quam exiſtit turba corporearum rerum atque ipſe adſpectabilis mundus* (m). Quin & monada dyadaque PLVTARCHVS diſſertis verbis ἀρχὰς vocat, γενέσεως ὑποκειμένας, *initia, vnde mundus generetur* (n). Neque AVCTOR PHILOSOPHVMENORVM alio tranſtulit Pythagorae numeros, niſi ad totius naturae foecundam generationem: κ̀ φυσιογονικὴν αὐτὸς (πυθαγόρας) ἐξεῦρεν, ἀριθμύς τινας κ̀ μέτρα ὑποθέμενος. *Et ipſe* (Pythagoras) *ſupponens numeros quosdam & menſuras, adinuenit naturae foecundam generationem* (ita GRONOVIVS verba interpretatur) (o). Haec vero cuncta hoc praepoſuimus conſilio, ne iam ARISTOTELEM putemus inuidia erga Platonem inductum, quod nonnulli exiſtimarint, tanto ſtudio atque cura ſeparaſſe diſtinxiſſeque a Platonis ideis Pythagorae numeros. Ariſtotele enim nemo clarius

(m) l. c. cap. 7. p. 266.
(n) de Iſid. & Oſir. T. I. oper. p. m. 344.
(o) c. 2. p. 30.

rius hos ipſos numeros docuit non ad ideas: ſed ad initia generationemque totius naturae pertinere: quod quidem pluribus locis agit Ariſtoteles, teſtimoniaque eius quaedam iuuabit commemoraſſe. De initiis igitur rerum diſputans: *οἱ πυθαγόρειοι*, inquit, *ἕνα τὸν μαθηματικὸν, πλὴν οὐ κεχωρισμένον· καὶ ἐκ τούτου τὰς αἰσθητὰς οὐσίας συνεστάναι φασί. Pythagorici vnum ipſum mathematicum* (dicunt eſſe primum entium) VERVM NON SEPARATVM: SED EX EO SENSIBILES SVBSTANTIAS CONSTARE *dicunt* (p). Non igitur ad iſta intelligibilia, ſiue rerum ideas, quas Timaeus & Plato commenti ſunt, pertinent Pythagorae numeri: ſed ad generationem rerum, quae adſpectu percipiuntur, id eſt, totius mundi. Atque alio loco idearum opinionem cum numeris quidquam commune habere omnino negat Ariſtoteles (q). Quod quidem aeque clare his verbis indicat: *τὰς τούτων (ἀριθμῶν) ἀρχὰς τῶν ὄντων ἀρχὰς ᾠήθησαν εἶναι* ΠΆΝΤΩΝ. *Numerorum principia* ENTIVM CVNCTORVM *principia eſſe putarunt* (r). Item: *τὰ τῶν ἀριθμῶν στοιχεῖα τῶν ὄντων στοιχεῖα πάντων εἶναι ὑπέλαβον. Numerorum elementa* ENTIVM *quoque* CVNCTORVM *elementa eſſe putarunt* (s). Atque clarius etiam poſtea: *ἐοίκασι*

(p) Metaphyſ. L. XII. c. 6.
(q) l. c. cap. 4.
(r) l. c. L. I. c. 5.
(s) l. c.

κασι δὲ ὡς ἐν ὕλης εἴδει τὰ ςοιχεῖα (*τῶν ἀριθμῶν*) *τάττειν· ἐκ τέτων γὰρ ὡς ἐνυπαρχόντων συνεςάναι καὶ πεπλάσθαι φασι τὴν ἐσίαν. videntur autem* IN MATERIAE SPECIE *ponere elementa* (numerorum): *ex his enim, tamquam quae insint in rebus constare ac fingi substantiam aiunt* (t). Ex his sequitur illud, quod dudum dixi, nihil noui commentum esse Aristotelem, qui, vt reliqui vetusti scriptores, non ad vnam naturae partem, sed ad generationem mundi vniuersi traduxit Pythagorae numeros. Quae cum ita sint, obseruari tamen deinde velim, eosdem numeros vix ita capi posse, vt Pythagoras illis ipsa rerum elementa corporea, quae quatuor eum posuisse, supra vidimus, seu internam elementorum naturam natiuamque indolem declarari voluerit: si quidem veterum testimonia conciliare, nec ingentes quasdam lacunas hiatusque in disciplina Pythagorae relinquere cupiamus. Externam eam, quam elementa habent ad se inuicem in procreando mundo rationem numeris indicari putem, atque quem quodque illorum in aeterno isto rerum ordine ac serie locum obtineat: vt elementa, quatenus aut igneae, aut aëreae, aut aqueae aut terrestris naturae sunt, in censum plane non veniant; sed quatenus in mundi totius coagmentatione ac concentu alia habent effectionis, alia effectuum rationem. Totum igitur causarum atque progressionum naturae genus

(t) l. c.

nus ineſt in Pythagorae numeris, atque, vt paucis dicam, iſta συμπλοκὴ τῶν αἰτιῶν, ſiue fatum, quod ſupra explicauimus (§. VI.), cuius naturam Pythagoras numeris declaraturus, illud putauit effici, cum in toto complexu concentuque cauſarum ac euentuum eo modo aliae ex aliis aptae nexaeque ſint atque procreentur, quemadmodum aut per additionem aut per multiplicationem numerus ex numero. Quod quidem nuda coniectura putanda non eſt: hoc enim ipſo modo PSEVDO-ORIGENES explicat rerum generationem ex mente Pythagorae, poſtquam indicaſſet, partes vniuerſi numeri eſſe vnitatem, dualitatem &c. ὧν καὶ ἐπιπλοκαὶ, addens, καὶ μίξεις πρὸς γένεσιν αὐξήσεως γίνονται κατὰ φύσιν, τὸν γόνιμον ἀριθμὸν ἀποτελοῦσαι. *Eaeque* (numeri partes) *producendi incrementi cauſa foecundum propagantes numerum*, CONGRVO NATVRAE MODO INTER SE CONNECTVNTVR ET PERMISCENTVR (u). Quin & additionis atque multiplicationis, quibus naturae generatio numerorum lege perficiatur, expreſſam in eadem iſta diſputatione Pſeudo-Origenes iniicit mentionem. Hanc vero vnam arbitror rationem eſſe conciliandi Ariſtotelis cum reliquis hiſtoriae philoſophiae auctoribus: qui cum tantum non omnes Pythagoram memoriae prodiderint in duas partes diſtribuiſſe rerum naturam, alteramque dixiſſe *ignem* ſiue *calidum*, alteram vero

(u) c. 2. p. 35.

vero *humidum* siue *frigidum*; vnus Aristoteles ipsam equidem bipartitam istam diuisionem retinens, caeterum cunctis reliquis repugnare visus est, negando, Pythagoram quidquam certi decreuisse, igneaene naturae sint duo ista principia, an vero humidae aut frigidae? οἱ πυθαγόρειοι, inquiens, δύο μὲν τὰς ἀρχὰς - - - - - - - εἰρήκασι τοσοῦτον δὲ προσεπέθεσαν, ὃ καὶ ἴδιον αὐτῶν ἐστιν, ὅτι τὸ πεπερασμένον, καὶ τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ ἓν οὐχ ἑτέρας τινὰς ᾠήθησαν εἶναι φύσεις, οἷον πῦρ, ἢ γῆν ἤ τι τοιοῦτο ετερον, ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ ἄπειρον καὶ αὐτὸ τὸ ἓν οὐσίαν εἶναι τούτων, ὧν κατηγοροῦνται· διὸ καὶ ἀριθμὸν εἶναι τὴν οὐσίαν ἁπάντων. *Pythagorei duo quidem dixerunt* PRINCIPIA: *tantum addiderunt, quod & proprium eorum est, quod finitum & infinitum & vnum non putarunt vllas alias esse naturas, vt puta ignem, aut terram, aut aliud simile: sed ipsum infinitum & ipsum vnum substantiam horum esse, de quibus praedicantur: propterea & numeros substantiam esse omnium rerum* (w). Sed salua res est: nec enim Aristoteles internam elementorum naturam conatur explicare, de numeris Pythagorae disputans: neque ea considerat, quatenus sunt ignis, aut aqua; sed ratio, quam habent ista elementa in aeterno rerum ordine vniuersoque causarum complexu, quoque modo ex iunctis istis connexisque rerum causae atque progressiones efficiantur, ea vero est, quam in Pythagorae numeris Aristoteles contineri putat.

(w) Metaph. L. I. c. 5.

tat. Huius igitur noſtrae diſputationis vt ratio conſtet, ipſe Ariſtoteles audiendus eſt: qui: ὁι πυθαγόρειοι, inquit, διὰ τὸ ὁρᾶν, πολλὰ τῶν ἀριθμῶν πάθη ὑπάρχοντα τοῖς αἰσθητοῖς σώμασιν, εἶναι μὲν ἀριθμοὺς ἐποίησαν τὰ ὄντα, οὐ χωριστοὺς δὲ, ἀλλ' ἐξ ἀριθμῶν τὰ ὄντα. διὰ τὶ δὲ; ὅτι τὰ πάθη τῶν ἀριθμῶν ἐν ἁρμονίᾳ ὑπάρχει, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ἐν πόλλοις ἄλλοις. *Pythagorei, eo quod multas numerorum paſſiones ſenſibilibus ineſſe corporibus videbant; numeros quidem eſſe entia fecerunt* (ſiue clarius: *ſtatuerunt, entia ipſa numeris conſtare*) *non tamen ſeparatos, verum ex numeris entia. Cur autem? quoniam numerorum paſſiones in harmonia ſunt & in coelo caeteriſque multis* (x). Perſpicimus ex his Ariſtotelis verbis totam rationem atque cauſam numerorum Pythagoreorum. Quod enim videbat Pythagoras, pulcerrimum concentum atque harmoniam verſari in rerum vniverſa natura; ideo & numerorum rationem ineſſe in naturae elementis putauit: nec ea ipſa elementa ex hac parte, quatenus pulcerrimam cauſarum gignunt & euentuum ſeriem, vt ignem aut aquam ſpectauit, ſed prout ſeſe inuicem habent vt numerus ad numerum, cuius quidem more ac lege mundum ex elementis prodiiſſe arbitratus eſt. Quapropter Pythagoras ſubſtantias quidem eſſe elementa voluit, ex quibus corpora efficiantur: cum vero ad harmoniam ſiue ordinem rerum, quod ipſum etiam fatum eſt, ſermo deductus eſſet, praetermiſſa elemen-

torum

(x) l. c. L. XIII. c. 3.

torum interna natura, connexionem duntaxat eorum atque vim, qua continetur illud fatum, considerari iussit. Melius enim atque concinnius explicari posse naturae constantiam & connexionem causarum euentuumque putauit Pythagoras, si in numerorum ratione contemplemur elementa, quam cum internam propriamque eorum indolem, quatenus ignis, aut aqua, aut aliud quid sunt, solum intuearis. Quocirca idem Aristoteles de Pythagoreis: ἐν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς ἐδόκουν θεωρεῖν ὁμοιώματα πολλὰ τοῖς οὖσι καὶ γιγνομένοις μᾶλλον, ἢ ἐν πυρὶ, καὶ γῇ καὶ ὕδατι. *In numeris plures similitudines tum ad existentia, tum ad ea quae fiunt, quam in igne, in terra, & in aqua esse putarunt* (y). Sed hoc ipso loco Aristoteles totam numerorum caussam ita expedit, vt quo consilio iis vsus sit Pythagoras, prorsus indubium reddatur. ἔτι δὲ, ita pergit, καὶ τῶν ἁρμονικῶν ἐν ἀριθμοῖς ὁρῶντες, καὶ τὰ πάθη, καὶ τοὺς λόγους, ἐπειδὴ τὰ μὲν ἄλλα τοῖς ἀριθμοῖς ἐφαίνετο τὴν φύσιν ἀφωμοιῶσθαι πᾶσιν, οἱ δὲ ἀριθμοὶ πάσης τῆς φύσεως πρῶτοι, τὰ τῶν ἀριθμῶν στοιχεῖα τῶν ὄντων στοιχεῖα πάντων ὑπέλαβον, καὶ τὸν ὅλον οὐρανὸν ἁρμονίαν εἶναι, καὶ ἀριθμὸν, καὶ ὅσα εἶχον ὁμολογούμενα δεικνύναι ἔν δὲ τοῖς ἀριθμοῖς καὶ ταῖς ἁρμονίαις, πρὸς τὰ τοῦ οὐρανοῦ πάθη καὶ μέρη καὶ πρὸς τὴν ὅλην διακόσμησιν, ταῦτα συνάγοντες ἐφήρματτον. *Item cum harmoniarum in numeris inspicerent passiones ac rationes, cumque caetera quidem* VIDERENTVR NVMERIS

(y) Metaph. L. I. c. 5.

RIS ASSIMILARI IN OMNIBVS, *numeri vero totius naturae primi; numerorum elementa entium quoque cunctorum elementa esse putarunt*, TOTVMQVE COELVM HARMONIAM ET NVMERVM ESSE *& illa quidem*, QVAE DE NVMERIS ET HARMONIIS CONSENTANEA PASSIONIBVS ET PARTIBVS COELI AC VNIVERSI MVNDI DISPOSITIONI MONSTRARE *poterant, colligentes applicabant* (z). Quid sit, quod ad perspiciendam Pythagorae mentem adhuc desiderari queat, vix video. Quis enim est, qui non intelligat, ea de causa Pythagoram ad numerorum rationes delatum fuisse, quod illustrem illum naturae ordinem atque seriem ita nexum videbat & aptatum, vt euentorum causarumque aliae ex aliis pendeant procreenturque, quemadmodum numerus ex numero. Quare nullum aliud consilium habuisse Pythagoras in accomodandis ad naturam rerum numeris putandus est, praeterquam, vt ordinis istius, qui in natura inest, atque ipsius fati generationem habitumque quodammodo describeret atque explicaret. Nihilo tamen secius in elementis his numerorum solidi quidquam atque eminentis versari idem arbitratus est, vt quae tamquam ignis, aut aqua, aut terra, materiam constituant generationi corporum subiectam: quamuis, quod saepius moneo, corporeae illorum naturae rationem non habuerit, cum numero-

(z) l. c.

merorum signis eadem indicaret, sed harmoniae duntaxat atque concentus, quem producunt, quando iuncta inuicem connexaque spectantur. Quod quidem rursus ita declarat ARISTOTELES: Φαίνονται δὲ καὶ οὗτοι (πυθαγόρειοι) τὸν ἀριθμὸν νομίζοντες ἀρχὴν εἶναι, καὶ ὡς ὕλην τοῖς οὖσι, καὶ ὡς πάθη δὲ καὶ ἕξεις. *Aparent etenim isti* (Pythagorei) *numerum principium existimasse* VT MATERIAM EXISTENTIBVS, ET VT PASSIONES AC HABITVS (a): hoc est, vt ego opinor; *per numerum indicarunt Pythagorei non modo corporea elementa, sed praecipue eorum erga se inuicem affectiones ac rationes.* Sed quod rem plane conficit, numeris nihil aliud in Pythagoreorum disciplina indicari, nisi leges & ordinem generationis rerum; alio loco ARISTOTELES Pythagoram a Platone discernens: οἱ μὲν γὰρ πυθαγόρειοι, inquit, ΜΙ´ΜΗΣΙΝ τὰ ὄντα φασὶν εἶναι τῶν ἀριθμῶν· πλάτων δὲ μέθεξιν, τοὔνομα μεταβάλλων. *Pythagorei etenim* IMITATIONEM *numerorum aiunt entia esse: Plato vero nomen mutando, participationem* (b). Pythagoras nimirum nihil, quod quidem a corporeis naturae elementis diuersum sit, in numeris intellexit: sed ipsa illa elementa, vt iuncta connexaque sunt, considerauit, ex quibus numerorum IMITATIONE atque lege mundum effici arbitratus est: cum Plato contra alias quasdam naturas induceret, quae plane sint ab omni

(a) l. c.
(b) l. c. c. 6.

omni corpore remotae; quas in materiam atque corpora diuinitus demum demergi ac intrudi putat. Satis autem constanter Pythagoras hac de numeris disputatione ad expediendam rationam suam vsus est. Vix enim elegantius fatum istud, quod idem probabat, animo depingi, aut aptiori similitudine explicari posset, quam his ipsis numerorum signis a Pythagora factum est. Vt enim, quocumque iam modo eosdem numeros aut iungas alterum addendo ad alterum, aut in se ipsos ducas, eadem semper efficiatur summa aut productum idem, necesse est; sic & eam rerum omnium naturam esse voluit Pythagoras, easque inesse in elementis naturae leges, vti fatali quadam necessitate hic, qui nunc est, rerum ordo seriesque ita prodierit, vt illam causarum euentuumque perpetuitatem ne ipse quidem Deus, si vel maxime velit, sistere aut immutare possit. Ex quo tandem efficitur & illud, vnum idemque prorsus & Stoicorum fatum esse & Pythagorae. Sit iam ista numeri definitio, quam Iamblichus a PHILOLAO profectam esse dicit, pro genuino Pythagoreorum decreto habenda: *Φιλόλαός φησι ἀριθμὸν εἶναι τῆς τῶν κοσμικῶν αἰωνίας διαμονῆς τὴν κρατιστεύουσαν καὶ αὐτογενῆ συνοχήν. Philolaus dicit, numerum esse vinculum continens aeternam rerum mundanarum permansionem, quod ex sese ipsum nascitur* (c). Quiuis tamen facile intelligit, nihil in his verbis inesse, nisi declarationem fati

(c) IAMBLICH. Introd. in Arithm. Nic. p. 7.

istius atque aeterni naturae ordinis, fluentis ab aeterno in aeternum immutabili quadam internaque necessitate, quo tota continetur permansio atque administratio mundi: neque ego vllas in hoc Philolai dicto inuenio Platonis ideas.

§. X.

Neque tamen vnius Aristotelis auctoritas facit, vt ea, quam ostendimus, Pythagoreorum numerorum vis tantopere nobis probetur: accedunt enim & alii, nec minus graues auctores, atque in his vel maxime SEXTVS EMPYRICVS. Hic enim primo loco numeros ex mente Pythagoreorum ita semper exponit, vt sint, non vnum quoddam separatumque elementorum genus, sed principia atque elementa totius mundi vniversaeque naturae, tamquam materia subiecta generationi (d). Deinde vero longam idem instituit disputationem (e), numeros esse obscura sensibus elementa atque incorporea, neque eadem cum ipsis, quae numerentur, rebus, ita tamen, vt in numeratis rebus insint & contineantur. Quocunque te vertas, vix sanum ex his elicies sensum, nisi eam numeris vim subiicias, quam Aristoteles indicauerat, eos scilicet ipsa esse elementa totius naturae: non autem in se ac secundum internam suam corporeamque naturam considerata: sed quatenus rationem, quam habet aliud elementorum ad aliud, intuearis, atque ex con-

(d) conf. Pyrhon. hypoth. L. III. f. 32. 152, feqq.
(e) l. c. f. 152.

coniunctis istis inter se copulatisque & fati progressiones intelligas & pulcerrimam omnium rerum effici harmoniam. Quae quidem explicatio ab ipso SEXTO perspicuis traditur verbis: καὶ οὕτω τὰ σώματα καὶ ὅλον τὸν κόσμον ἀνειδωλοποιοῦσιν, ὅντινα καὶ διοικεῖσθαί φασι κατὰ ἁρμονικοὺς λόγους. *Atque ita corporum & totius mundi* SIMVLACRA HAEC *nobis fingunt* (ostenderat autem Sextus, quomodo numerorum lege secundum Pythagoreos ex punctis lineae, superficies & corpora denique solida gignantur) *quem etiam* SECVNDVM HARMONICAS PROPORTIONES GVBERNARI *affirmant* (f). Nihil vero exspectari potest, quod totam nostram disputationem illustret magis pariter atque confirmet, quam haec Sexti verba: καθόλου μὲν οὖν οἱ ἀπὸ τῶν μαθημάτων πυθαγορικοὶ μεγάλην ἀπονέμουσι δύναμιν τοῖς ἀριθμοῖς, ὡς τῆς τῶν ὅλων φύσεως κατ' αὐτοὺς διοικουμένης. ὅθεν καὶ αἰεί ποτε ἐπεφώνουν, τὸ

ἀριθμῷ δέ τε πάντ' ἐπέοικεν.

Atque vniuerse quidem ac in genere mathematici Pythagorei magnam vim tribuunt numeris, vtpote quod VNIVERSARVM RERVM NATVRA EX EIS ADMINISTRETVR. *Vnde etiam semper acclamabant illud:*

ASSIMILATA AVTEM NVMERIS SVNT OMNIA (g).

Haec ego mecum saepius recordans miratus sum, quid tandem eruditissimos cuiusque aeui viros

K 3 per-

(f) l. c. f. 155.
(g) Aduers. Math. L. IV. f. 2.

tantum abeſt, vt Pythagorei numeris ſuis incorporales duntaxat quasdam naturas indicarint, vti potius corporearum pariter atque corpore vacantium (ſenſu nimirum Pythagoreo & Stoico) rerum affectiones quasdam communes eſſe numeros eodem Sexto auctore dixerint: πᾶν τὸ καταλαμβανόμενον ἀνθρώπῳ, φασὶν, ἤ τι σῶμά ἐστιν, ἢ ἀσώματον. ἐάν τε δὲ σῶμά ἐστιν, ἐάν τε καὶ ἀσώματον, οὐ χωρὶς τῆς τῶν ἀριθμῶν ἐννοίας καταλαμβάνεται. *Et praeterea quidquid, inquiunt, ab homine comprehenditur, aut eſt corpus, aut incorporeum. Siue autem ſit corpus, ſiue incorporeum; non comprehenditur abſque numerorum notione* (i). Ex quibus verbis prorſus confici arbitror, in numeris non ſingulare aliquod principiorum genus contineri: ſed vniuerſam iſtam, quam diximus elementorum omnium communemque affectionem, in qua ſeries, connexio atque ordo rerum verſatur.

§. XI.

Fortaſſe vero de numeris dici quidquam vix poſſit, quod magis in vniuerſam Pythagorae diſciplinam conueniat, quodue aptius ſit ad conſtantiam quandam in illius decretis reperiendam, quam haec interpretatio. Quod cum in fati ratione modo oſtendimus; tum vero magis etiam ex iis intelligitur, quae Pythagoras traditur de bonorum fine diſputaſſe. Etenim illos ipſos nume-

(i) l. c. ſ. 101.

numeros eorumque perfectam & absolutam scientiam extremum bonorum finemque, ad quem omnia referantur, Pythagoram constituisse, THEODORETVM auctorem habemus (k). Ex quo sequitur, vt, si quid Pythagoras de summo censuit bono teneamus, nec numerorum possimus vim ignorare. Vix autem quidquam ab vllo scriptore videtur in medium allatum esse, quod magis Pythagorae sententiam aperiat hac in parte, quam quae sunt apud CICERONEM, qui sermonem illius cum Leonte, Phliasiorum principe exponens, omnem philosophiae causam, quidque homini ad beate viuendum in tota vita propositum esse debeat, declaraturus, *Pythagoram*, inquit, *respondisse, similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu, totius Graeciae celebritate. Nam vt illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronae peterent - - - - - - - esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum, quaererent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur & quomodo: ita nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex vrbe aliqua; sic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos; alios gloriae seruire, alios pecuniae: raros esse quosdam, qui caeteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur: hos se appellare sapientiae studiosos, id est enim philo-*

(k) THERAPEVT. L. XI. p. 419. vers. gall. MOVRGVESII.

philosophos: & vt illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum cognitionemque praestare (l). Contemplatio autem illud ipsum est, in quo vitam beatam versari omnemque philosophiae vsum absolui Pythagoras putat: quod cum plaeclare intellexissent Pseudo-Pythagorei isti iuniores (m); falso tamen eam, quam Pythagoras praecepit, rerum cognitionem ad ideas Platonis transferunt. Nec enim ex Ciceronis verbis quidquam magis perspicuum esse potest, quam TOTIVS NATVRAE contemplationem, quid & quomodo quidque geratur? non vero Platonis ideas, Pythagoram philosopho praecepisse: id est, totum antecedentium & consequentium rerum complexum, seriemque istam causarum, ex qua totius naturae concentus resultat. Quod quidem ipsum egregie confirmat PLVTARCHVS hunc a philosophia fructum Pythagoram expectasse tradens, *τὸ μηδὲν θαυμάζειν*, VT NIHIL ADMIRETVR(n), quae verba quam habeant vim ipse Plutarchus explicaturus, addit: *ὁ γὰρ φιλόσοφος λόγος τὸ μὲν ἐξ ἀπορίας καὶ ἀγνοίας θαῦμα καὶ θάμβος ἐξαίρει, γνώσει καὶ ἱστορίᾳ τῆς περὶ ἕκαστον αἰτίας. Nam philosophica ratio admirationem atque stuporem ab haesitatione atque ignorantia profectum, eximit, singularum rerum cognitione atque enarratione*

(l) Tuscul. Q. Q. L. V. c. 3.
(m) conf IOH. SCHEFFER. de N. & C. Phil. Ital. c. 7. seq. p. m. 42. seqq.
(n) de AVSCVLT. T. I. oper. p. m. 32.

PER CAVSAS SVAS *exhibita.* Hoc itaque est philosophiae propositum: hic fructus illius. Talis igitur & numerorum ratio sit necesse est. Atque quo magis, quidnam Pythagorae bonorum summum esse visum sit, intelligamus; rursus audiamus CICERONEM, qui alio loco de vitae beatae totius fine disputans: *sed credo*, inquit, *deos immortales sparsisse animos in corpora humana, vt essent, qui terras tuerentur*, QVIQVE COELESTIVM ORDINEM CONTEMPLANTES, *imitarentur cum vitae modo atque constantia. Nec me solum ratio ac disputatio impulit, vt ita crederem: sed nobilitas etiam summorum philosophorum & auctoritas* (o). Pythagorae vero auctoritatem eam esse, quam hoc loco Cicero secutus sit, ipse continuo fatetur. Quae quidem Ciceronis verba, cum ex intimis quasi Italicae philosophiae arcanis depromta videantur, & eam illustrant, quam supra de Pythagorae fato instituimus, disputationem; & hanc nostram de numerorum vi atque ratione opinionem mirifice confirmant. Coelestia enim (id est, coeli sidera, in quibus secundum Pythagorae sententiam praecipua continetur vniuersae diuinae naturae virtus atque sedes), siue dii, lubenti animo cum sequuntur fati decreta; tum sine vlla perturbatione, perfecta ratione fruentes, aeternum rerum seruant ordinem atque seriem, tamquam fati fideles ministri; hominis autem beati est, & cognoscere hanc coelestium constantiam atque

(o) de SENECTVT. c. 21.

atque ordinem, & eam imitari tota vita, vt itidem lubens nec inuitus ea probet, quae fata iubent. Haec autem summi boni explicatio tam est vniversis Pythagorae rationibns apta atque conveniens, vt totidem fere verbis AVREA CARMINA, vitam explicantia beatam perfectamque sapientiam, in aeterni eam naturae ordinis cognitione, intelligentiaque ponat earum legum, quibus transeunt singula & continentur:

γνώσῃ ἀθανάτων τε θεῶν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων
σύστασιν, ᾗ τε ἕκαστα διέρχεται, ᾗ τε κρατεῖται
γνώσῃ δ' ᾗ θέμις ἐστὶ, φύσιν περὶ παντὸς ὁμοίην.
ὥστε σε μήτε ἄελπτ' ἐλπίζειν, μήτε τί λήθειν.
\- -
\- -
ἀλλὰ σὺ θάρσει· ἐπεὶ θεῖον γένος ἐστὶ βροτοῖσιν,
οἷς ἱερὰ προφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα.

Cognosces & immortalium deorum & mortalium hominum
CONSISTENTIAM QVA ET TRANSEVNT SINGVLA ET CONTINENTVR
Cognoscesque, quatenus fas est, NATVRAM IN OMNI RE SIMILEM
Vt neque speres non speranda, neque quidquam te lateat
\- -
\- -
Sed tu confide, quandoquidem est diuinum mortalibus genus

QVI-

QVIBVS SANCTA PROFERENS NATVRA, OSTENDIT SINGVLA (p).

Nunc autem, qualis ſit ſplendida iſta *ὁμοίωσις τοῦ θεοῦ*, *ſimilitudo Dei*, ad quam vt perducatur hominis animus, philoſophiae propoſitum eſſe ſtatuebant Pythagorei, aparet. Digitis enim quaſi monſtrans Cicero, eo quem modo protulimus loco, nos ad aeternum naturae ordinem ablegat, quem cum a diis conſtantiſſime ſeruari videamus, imitemur eundem vitae conſtantia atque modo. Vtque Deus, ſumma ratione perſpiciens aeternas iſtas neceſſitatis leges, lubenti animo ſeriei cauſarum obſequitur, quae ab aeterno verae, certae atque definitae ſint; ſic & hominis beata vita omnis in eo poſita eſt, vt intellectam eandem naturae conſtantiam amet, moderatoque ac aequo animo, deorum more, abripi ſe patiatur ab iſto naturae torrente: cum, qui contra nitatur animi perturbationibus indulgens, nequidquam laborando miſer & infelix ſit. Quod idem nos diſſertis verbis aurea carmina ſupra docuerunt: *ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, πράως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει. Earum* (calamitatum) *quantum tibi a fato datum eſt, leniter fer, nec indignare &c.* Huius autem impietatis extremum illud eſt, vt homo ipſe Deus fiat: qua tamen de re vberius alias. Pluribus enim vniuerſum hunc locum cum ex aureis carminibus, tum ex aliis Pythagoreorum fragmentis illuſtrare facile foret: ſed nos conſilii noſtri

(p) verſ. 50. ſeqq. conf. CLAR. SCHIERIVS ad h. l.

noſtri memores, his in praeſentia miſſis, ea duntaxat copioſius paullo perſequemur, quae ad declarandam Pythagorae de natura Dei atque de generatione rerum ſententiam proxime pertinent. Veruntamen hoc loco, Stoicos rurſus fideliter Pythagorae veſtigiis inſtitiſſe, quis non videt? Eſt enim idem ipſis bonorum finis, quem Pythagoram induxiſſe oſtendimus. Neque illud, ***naturae conuenienter viuere***, aliam habet vllam in Stoicorum diſciplina vim, niſi cauſarum ſeriem atque concentum mundi ita intelligere, vt prono lubentique animo id ſequaris, quod iſtud naturae flumen ineuitabili ſecum fert ratione, ſeu, quae Ciceronis verba ſunt, ***vt viuas, ſcientiam adhibens earum rerum, quae natura eueniunt*** (q). Quocirca & iisdem ſplendidis verbis vtentes Stoici ſummum bonum in eo ineſſe contenderunt, ***vt Deum ſequaris***, id eſt, vt aeque lubenti animo, ac Deus ipſe, fati obtemperes aeternis legibus (r). Atque vniuerſam Stoicorum diſciplinam totiusque philoſophiae rationem ſi ſpectes, genuini omnino verique ſcholae Italicae ſectatores iſti putandi ſunt. Habuerunt equidem propria quaedam & priuata decreta; ſed in eo, quod arx quaſi & fundamentum diſciplinae eſt, Zenonem Pythagoreorum ſcrinia compilaſſe, aliquoties iam perſpicue aparuit. Teneamus igitur, quod initio dictum

(q) de FF. L. III. c. 9. conf. **MENAGIVS** ad Diog. L. VII. ſ. 88. & **IAC. THOMAS.** de exuſt. m. St. l. c.

(r) conf. **BRVCK.** l. c. cap. IX. ſect. I. §. X. p. 954.

dictum eſt, quandoquidem Pythagoras bonorum vltimum extremumque in abſoluta numerorum ſcientia poſitum eſſe voluit; ipſam illam numerorum rationem, praeterquam ipſum mundi concentum atque ordinem ſeriemque cauſarum, quae ab aeterno verae certaeque ſint, nihil continere. Quod & MICH. MOVRGVES ex parte videt, ad iſtum, quem produximus Theodoreti locum hanc addens obſeruationem: *c' eſt à dire, l' ordre, la beauté, la bonté, la verité, la iuſtice, la regle, & la proportion en toutes choſes, tout l' obiet philoſophique en un mot: c' eſt ainſi, que Pythagore, l' entendu* (s). Neque iam illud a Pythagorae abhorret diſciplina, quod IAMBLICHVS eum refert vaticinandi vim & praeſentiendi futura tribuiſſe ſapienti, qui perfectam numerorum ſcientiam teneat (t): vnde vana iſta geomantiae ars enata eſt, cui nec noſtra deſunt aetate inepti patroni. Scientia enim numerorum cum Pythagorae nihil aliud ſit, niſi perſpicientia in connexionem atque ſeriem cauſarum, quarum ex coniunctione omnes mundi euentus neceſſario gignantur; hos qui norit, atque intelligit, idem vaticinari poſſit & futura praedicere neceſſe eſt. Stoici certe fati iſtius leges, quae in Pythagorae numeris inſunt, vel praecipuum ponebant omnis vaticinationis fundamentum atque initium. Tranſcribamus huc integrum inſignemque locum, qui eſt apud CICERONEM; pro-

(s) p. 419.
(t) vit. Pythag. c. 28.

propterea quod cum hanc ex numeris vaticinandi ſcientiam, tum vero vniuerſam noſtram de fati numerorumque vi, orationem mirifice illuſtrat: *Fatum id appello, quod graeci εἱμαρμένην, id eſt, ordinem ſeriemque cauſarum, cum cauſa cauſae nexa rem ex ſe gignat. Ea eſt ex omni aeternitate fluens veritas ſempiterna. Quod cum ita ſit, nihil eſt factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil eſt futurum, cuius non cauſas id ipſum efficientes, natura contineat. Ex quo intelligitur, vt fatum ſit non id, quod ſuperſtitioſe, ſed id, quod phyſice dicitur, cauſa aeterna rerum, cur & ea, quae praeterierunt, facta ſint, & quae inſtant, fiant, & quae ſequuntur, futura ſint. Ita fit, vt & obſeruatione notari poſſit, quae res quamque cauſam plerumque conſequatur, etiam ſi non ſemper: nam id quidem affirmare difficile eſt. Easdemque cauſas veriſimile eſt rerum futurarum cerni ab iis, qui aut per furorem eas, aut in quiete vident. Praeterea cum fato omnia fiant (id quod alio loco oſtendetur), ſi quis mortalis poſſit eſſe, qui colligationem cauſarum omnium perſpiciat animo, nihil eum profecto fallat: qui enim teneat cauſas rerum futurarum, idem neceſſe eſt, omnia teneat, quae futura ſint* (u). Nec quidquam temere, vt totum argumentum concludamus, ex vniuerſa Pythagorae diſciplina proferri poterit, quod de mundi harmonia ſenſiſſe ille traditur, quod non idem cum hac, quam dedimus, numerorum explica-

(u). de Diuinat. L. I. c. 55. ſeq.

plicatione apprime consentiat: quale est, quod est apud DIOGENEM: τὴν δὲ ἀρετὴν ἁρμονίαν εἶναι, καὶ τὴν ὑγιείαν, καὶ τὸ ἀγαθὸν ἅπαν, καὶ τὸν θεόν· διὸ καὶ καθ' ἁρμονίαν συνεστάναι τὰ ὅλα. *Virtutem harmoniam esse, sanitatem praeterea & bonum omne, atque Deum: ideoque per harmoniam constare omnia* (w). Cuncta enim haec secundum pulcerrimum istum aeternumque naturae ordinem atque cursum fiunt & agunt, quem Pythagoras numeris declarare voluit: ex quo intelligitur, quid sibi velit ista σύστασις Deorum & hominum, quam supra in aureis carminibus laudari audiuimus, naturae nimirum concentus colligatioque causarum in ea inest, qua & dii & homines continentur. Quale est & illud, quod astra totumque coelum motu suo pulcerrimum suauissimumque musices concentum & harmoniam efficere, Pythagoras credidisse a nonnullis dicitur (x). Vix enim Pythagoram tam stolidum putarim fuisse, vt istum musices concentum re existere in natura arbitraretur: aut omnino aliis, percipere se auribus hanc praestantissimam harmoniam, auderet persuadere, quod quidem IAMBLICHVS ineptissime tradit (y): hanc igitur totam rem, quamquam b. IOH. FRANC. BVDDEO auctore inter inania Pythagoreorum commenta lubens refero (z); proportioni;

(w) L. VIII. s. 33.
(x) CENSORIN. de die nat. c. 13.
(y) de vit Pythag c. 15
(z) BVDDEVS compend. hist. phil c. 3. §. 40. p. 100.

tionis tamen iisdem legibus mundus ex Pythagorae ſententia conſtare recte dicitur, quibus muſica ars omnisque modulationis ſuauitas re vera conſtat, quibusque eam conſtare Pythagorae iam probe cognitum fuit. Iam vero quid in THOMAE BVRNETII ſententia deſiderem, aparet, qui caeteroquin proxime ad noſtram explicationem acceſſiſſe videatur; non enim ipſa rerum natura atque claſſes earum, quatenus a Deo, tamquam a natura omnium ſimpliciſſima ordine ſunt procreatae, quod Burnetius putat (a): ſed externa ratio elementorum, atque connexio totius naturae ſeriesque omnium euentorum, quae in natura accidunt, numeris indicari, probabilibus, ni fallor, argumentis, a nobis demonſtratum eſt. Maiori fortaſſe veriſimilitudinis ſpecie Burnetii opinio ſe commendatura eſſet, ſi numeris Pythagoras dumtaxat ad denarium vsque eſſet vſus, atque ipſe denarius naturas indicaret remotiſſimas a deo. Sed quaternionem atque denarium iſte tantum vt fundamenta reliquorum numerorum adhibuit, ex quibus infinita alia ſeries procedat & gigneretur, ipſeque denarius totam coeli compagem, naturas complectentem, quae ſint partes ipſius diuinae naturae atque ipſi dii, continet (quod poſtea docebimus). Vnde perſpicue intelligi poſſe puto, non ipſas res ineſſe in Pythagorae numeris atque claſſes earum, quatenus magis magisque a Deo recedunt: ſed connexio-

(a) vid. BRVCK. l. c. Cap. X. ſect. I. §. 18. p. 1046.

nexionem totius naturae, atque colligationem causarum, quatenus inde mundi proficiscuntur euenta, quae, pariter ac res ipsas siue corporum classes, numeris descripsit Pythagoras.

§. XII.

Bene cognitis igitur iis, quae de toto numerorum Pythagoreorum genere disputata sunt, ad singulos iam separatim exquirendos definiendosque accedere audeamus. Atque ad vnitatem siue μονάδα quod attinet, nullum plane est dubium, quin diuinam naturam ipsumque Deum in ea intellexerit Pythagoras, quae sit causa efficiens vniuersum naturae ornatum. Ita enim PLVTARCHVS: πυθαγόρειοι τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα (φατὶ) θεὸν ϗ τ'ἀγαθὸν, ἥτις ἐςὶν ἡ τῦ ἑνὸς φύσις αὐτὸς ὁ νῦς: *Pythagorei alterum initiorum, vnitatem scilicet, dicunt Deum esse, & bonum, qualis est natura vnius, atque ipsa mens* (b). Item: σπεύδει δὲ αὐτῷ (τῷ πυθαγόρᾳ) τῶν ἀρχῶν ἡ μὲν (μονὰς) ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον ϗ εἰδικὸν, ὅπερ ἐςὶ νῦς ὁ θεὸς. *Pertinet vero secundum Pythagoram principiorum illud quidem* (vnitas) *ad causas efficientium & intellectualium rerum, qualis est mens siue Deus* (c). Eodem prorsus modo ORIGENIS philosophum: ϗ μονάδα μὲν εἶναι ἀπεφήνατο (πυθαγόρας) τὸν θεόν. *Et vnitatem quidem affirmauit Pythagoras esse Deum*

(b) de Pl. phil. L. I. c. 1. p. m. 266.
(c) l. c. cap. 3, p. 262.

um (d). Eſt autem nunc quidem in promtu, qualis ſit vnitatis iſtius, ſiue monadis, natura: cum, qualem ſibi Deum Pythagoras finxerit, ſupra copioſe demonſtratum ſit. Ignis enim iſte divinus, qui eſt fons & vitae & motionis, & in quo ineſt perfecta ratio, ipſa illa monas eſt. Quod & diſerte enuntiauit EMPEDOCLES, Deum vocans, τὸ τῆς μονάδος νοερὸν πῦρ, *vnitatis ignem intellectu praeditum* (e). Similitudinem vero, quam Pythagoras in aeterno rerum ordine inter effectionem iſtam igneam vnitatemque intercedere arbitratus ſit, reperire difficile non eſt: vt enim vnitas in numeris proportionum omnium fundamentum quaſi & initium eſt; ſic diuinus iſte ignis cauſa eſt efficiens harmoniam naturae, digerendo ſcilicet atque exornando reliquam materiam fati legibus conuenienter, ita, vt omnis proportionis, pulcritudinis, ordinis atque progreſſionis totius, quae ineſt in rerum natura, initium ducatur ab iſto diuino igne, exoriaturque ab eodem cauſarum origo atque ſeries. Quocirca & ſexus maſculini eſſe monada illam Pythagorei contenderunt: quod totius mundi reliquus ornatus cauſarumque progreſſio ab ea proficiſcatur tamquam a patre. Hoc etenim modo de Pythagorea monade diſputatur in ORIGENIS philoſophumenis: τῶν δὲ ἀριθμῶν ἀρχὴ γέγονε καθ' ὑπόθεσιν ἡ πρώτη μονὰς, ἥτις ἐςὶ μονὰς ἄρσην γεννῶσα πατρικῶς πάντας τοὺς ἄλ-

(d) c. 2. p. 26.
(e) PSEVDO-ORIG. l. c. cap. 3. p. 49.

λῦς ἀριθμοῦς. *Prima vero vnitas per suppositionem fuit principium numerorum, quae est vnitas mascula, patrio more procreans numeros omnes reliquos* (f).

§. XIII.

Sed in explicandis Pythagorae numeris priusquam longius progrediamur, obseruari velim, multum, meo quidem iudicio, interesse in illius theologica ratione inter τὸ ἓν, VNVM & τὴν μονάδα, VNITATEM. Quae distinctio neglecta quo maioris confusionis & prioribus & iunioribus interpretibus causa videtur fuisse, hoc studiosius nobis atque vberius totus iste locus aperiendus est. Profert equidem eandem distinctionem Celeber. BRVCKERVS (g); sed, iuniores Pythagoreos secutus, nec eo sensu, qui secundum Pythagoram in ea videtur inesse, nec ita copiose, explicatam, vt rei postulat grauitas. Non enim aut *vnitas* in intellectualibus existit tantum rebus, aut *vnum* in numeris; sed vtraque vox ad vnam Physiologiam Pythagorae omnino est reuocanda. Atque huius quidem coniecturae primus mihi auctor fuit PSEVDO-ORIGENES, in cuius philosophumenis ista mihi differentia videtur apertissime tradi non modo, sed & ad physicam transferri theologicamque rationem. Neque enim dubitare quisquam potest, τῷ ἑνὶ, VNO, Pseudo-Origenem τὴν μονάδα, *vnita-*

(f) c. 2. p. 32.
(g) l. c. num. 5. p. 1048.

vnitatem, tamquam vniuerſo rerum complexui partem aliquam ſubiicere, atque hanc ex iſto, ſeu ἐκ τȢ ἑνὸς deriuare. Quod vt appareat, ipſa auctoris verba proferamus: λέγων (πυθαγόρας) τὴν ἀρχὴν τῆς ἀριθμητικῆς φιλοσοφίας ΚΑΤΑ ΣΥΝΘΕΣΙΝ περιέχειν τόντε τρόπον: ἀριθμὸς γέγονε πρῶτος ἀρχὴ. ὅπερ ἐςὶν ἓν, ἀόριςος. ἀκατάληπτος, ἔχων ἐν ἑαυτῷ πάντας τȢ̀ς ἐπ' ἄπειρον δυναμένȢς ἐλθεῖν ἀριθμȢ̀ς κατὰ τὸ πλῆθος. τῶν δὲ ἀριθμῶν ἀρχὴ γέγονε ΚΑΘ' ΥΠΟΘΕΣΙΝ ἡ πρώτη μονάς. *Dicens* (Pythagoras) *arithmeticae philoſophiae principium per connexionem circumplecti hanc rationem: numerus exſtitit primus principium, quod eſt vnum, indefinitus, incomprehenſus, omnes, qui multitudine in infinitum poſſunt creſcere numeros in ſe complexus. Prima vero vnitas per ſuppoſitionem fuit principium numerorum*, (h). Quae primum haec eſſet inanis & ieiuna repetitio, ſi quidem auctori idem eſſet numerus primus, ſiue τὸ ἓν, atque μονὰς, ſeu vnitas? aut quae ratio, cur bis ab eodem initio progrediens eodem modo ſpectaret rerum naturam & quatenus ineſt ἐν τῷ ἑνὶ, & quatenus proficiſcitur ab vnitate ſeu ἀπὸ τῆς μονάδος? Quid deinde ſatis expreſſa auctoris cautio ſibi vellet, qua, ſi κατὰ σύνθεσιν, *ſecundum compoſitionem*, conſideretur rerum natura, numerum primum ſiue τὸ ἓν eſſe initium: *ſecundum ſuppoſitionem* ſeu καθ' ὑπόθεσιν vero τὴν μονάδα, palam dicit? niſi plane diuerſi quid ipſi eſſet τὸ ἓν & ἡ μονάς.

(h) Pſeudo-Origen, c. p. 31. ſeq.

Neque, quas auctor tribuit primo numero siue τῷ ἑνὶ, virtutes temere in vnitatem siue τὴν μονάδα cadunt: nunquam enim ἡ μονὰς ἀόριστος, *indefinita*, dicitur in Pythagoreorum ratione, quippe quae appellatio, si quidem singuli numeri separatim considerantur, dualitati seu binario numero potius constanter imponitur. Atque ipse etiam auctor, diuerso modo τὸ ἓν atque τὴν μονάδα in rerum generatione se habere, accurate indicat: τὸ ἓν, inquiens, ἔχειν ἐν ἑαυτῷ πάντας τοὺς ἐπ' ἄπειρον. δυναμένους ἐλθεῖν ἀριθμοὺς κατὰ τὸ πλῆθος. *Vnum in se habere omnes numeros multitudine qui possint in infinitum prodire.* Omnino enim hoc modo Pseudo-Origenis verba transferri oportet, neque quod GRONOVIVS fecit, per CRESCERE in infinitum: non enim incrementum numerorum Pythagoras spectabat, quatenus ii augendo magis magisque compositi redduntur: sed quatenus aeterna quadam necessitatis lege alius ex alio procreatur, id est, τὴν συμπλοκὴν seu connexionem numerorum. At de vnitate: τὴν μονάδα, inquit, γεννᾷν πατρικῶς πάντας τοὺς ἄλλους ἀριθμούς. *Vnitatem procreare patrio more numeros omnes reliquos.* Aliud plane quidquam esse, *omnes in se numeros habere*, quicunque prodire possunt: atque aliud, numeros istos, qui ἐν τῷ ἑνὶ insunt & continentur, *procreare, producere & euoluere* quasi quis non videt? sed nihil opus est longius petitis coniecturis: ipse auctor optimus nobis verborum suorum interpres esto. Etenim ordine recen-

censitis quatuor primariis numeris, vnitate nimirum, dualitate ternario & quaternione; γεγόνασιν ὖν, ita pergit, οἱ πάντες ἀριθμοὶ, ΛΗΦΘΕΝΤΕΣ ἈΠῸ ΓΈΝΟΥΣ, τέσσαρες. ἀριθμὸς δὲ ἦν ΤῸ ΓΈΝΟΣ ἈΌΡΙΣΤΟΝ. (i). Quae quidem verba Gronouius obscurius paullo ita vertit: *Vniuersi igitur ab origine & genere sumti (indeterminatum quippe numerus erat genus) computantur quatuor.* Qua translatione omnis verborum sensus euertitur, propterea quod eruditissimus iste vir, differre numeros sigillatim sumtos ab vniuerso numero seu ἀπὸ τῦ ἑνὸς, non animaduerterat. Hanc autem in istis verbis inesse sententiam, quiuis videt: *quando numeri generatim, id est, per partes, alius post alium sumantur, tum vero quatuor sunt numeri: numerus autem ipse* (πρῶτος iste ἀριθμὸς, quem τὸ ἓν vocauerat) *erat genus indefinitum*, id est, neque monas, neque dyas, neque alius quispiam definitus numerus erat, sed, vt itidem auctor antea dixerat, omnes numeros simul, qui in infinitum prodire possunt, continet & complexus est. Quem loquendi morem auctor per integram istam disputationem accurate soliciteque seruans, numerum indefinitum, siue τὸ ἕν, distinctum a numeris definitis sigillatimque sumtis, his ipsis quasi fontem & fundamentum semper praeponit: vt cum de denario, numerorum perfectissimo, differit: ταύτης τῆς δεκάδος, τῦ τελείυ ἀριθμῦ τέσσαρα καλεῖται μέρη, ἈΡΙΘΜῸΣ

(i) l. c. p. 33.

ΜΟ'Σ, μονὰς, δύναμις, κῦβος. *Huius, qui perfectus est numerus, decadis, quatuor appellantur partes,* NVMERVS, *vnitas, potestas & tessera* (k). Item paullo post: ὡς γίνεσθαι τοὺς πάντας ἀριθμοὺς, ἐξ ὧν ἡ τῶν γινομένων γένεσις γίνεται, ἑπτά: 'ΑΡΙΘΜΟ'Ν, μονάδα, δύναμιν, κ. τ. λ. *Hinc vniuersi numeri, ex quibus res, quae sunt, proseminantur, septem comperiuntur:* NVMERVS, *vnitas, dynamis &c.* (l). Totam igitur orationis perpetuitatem istius, quam Pseudo-Origenes de numeris Pythagorae instituit, quando accuratius mecum considero; hanc mihi in ea videre sententiam videor: *si κατὰ σύνθεσιν contemplemur rerum naturam, id est vniuersam rerum compagem atque compositionem, primum quidem omnium fuisse vniuersum aliquod, quod quamuis, quale sit, comprehendi nequeat, posse tamen dici τὸ ἓν* VNVM, *propterea quod & vniuersae naturae elementa, & rationes atque causae omnium rerum, quae futurae sint, in eo insint: continere vero idem illud vnum proportiones partium omnium, eamque illarum dispositionem atque rationes, vt aeternae inde gignantur harmoniae, siue necessitatis atque fati leges, quibus vniuersus rerum ornatus, qui sit, quique futurus sit, atque totius mundi descriptio ab omni aeternitate certa, firma, definitaque reddatur: vnde mundi generatio nihil aliud sit, nisi euolutio quasi quaedam atque explicatio*

(k) l. c. p. 35.
(l) l. c.

catio definitorum numerorum, qui omnes contineantur ἐν τῷ ἑνὶ: *posse igitur eandem illam vniuersam primamque rerum molem vocari* ἀριθμὸν ἀόριστον, NVMERVM INDEFINITVM, *seu complexum totius mundi, cuius ornatus atque descriptio numerorum lege & ratione educta quasi sit ex ista mole totius naturae: contra,* καθ' ὑπόθεσιν, *id est (vt ego opinor) eo, quo nostro ingenio rerum generatio facta intelligi cogitarique possit, modo,* ἡ μονὰς, VNITAS, *ex isto vniuerso rerum complexu prima expediuit sese, administrandoque reliquam rerum naturam ratione & prudentia, vt fati leges ferebant, caeteris numeris, seu vniuerso naturae concentui atque harmoniae originem dedit, vt totius mundi, qui numerorum legibus consistit, pater, atque omnis seriei causarum initium* ἡ μονὰς *ista appellari queat.* Neque tamen haec τοῦ ἑνὸς explicatio tam est ignorata caeteris historiae philosophicae priscis auctoribus, vt vnius eam Pseudo-Origenis testimonio niti arbitremur. Apud ARISTOTELEM certe aeque perspicua huius eiusdem rei deprehendere vestigia mihi visus sum. Cuius quidem insignis locus, totam hanc quaestionem mirifice illustrans, hanc habet sententiam: τοῦ δὲ ἀριθμοῦ στοιχεῖα τὸ ἄρτιον καὶ τὸ περιττόν· τούτων δὲ τὸ μὲν πεπερασμένον, τὸ δὲ ἄπειρον. τὸ δὲ ἓν δὴ ἐξ ἀμφοτέρων εἶναι τούτων. καὶ γὰρ ἄρτιον καὶ περιττόν. τὸν δὲ ἀριθμὸν ἐκ τοῦ ἑνός· ἀριθμοὺς δὲ καθάπερ εἴρηται, τὸν ὅλον οὐρανόν. *Numeri autem elementi par & impar* (de Py-

 thago-

thagoreis differit Ariſtoteles), *quorum alterum finitum, alterum infinitum:* VNVM VERO EX AMBOBVS HIS ESSE, *par etenim & impar eſſe: numerum autem ex vno, numeros vero, vt dictum eſt, totum coelum* (m). Paucis deinde Ariſtoteles interiectis pergit, Alcmaeonem Crotoniatem humanas res itidem diſtinxiſſe in duas contrarietates, dubiumque eſſe, vtrum ſumſerit Alcmaeon ſua a Pythagoreis, an vero hi ab illo: tantum vero intelligi certo poſſe, duo contraria ſecundum Pythagoram rerum principia eſſe, quae ἐν τῷ ἑνὶ, IN VNO iſto contineantur: οἱ δὲ πυθαγόρειοι, inquit, δυὸ μὲν τὰς ἀρχὰς κατὰ τὸν αὐτὸν εἰρήκασι τρόπον. τοσοῦτον δὲ προσεπέθεσαν, ὃ καὶ ἴδιον αὐτῶν ἐστιν, ὅτι τὸ πεπερασμένον, καὶ τὸ ἄπειρον, καὶ τὸ ἓν οὐχ ἑτέρας τινὰς ὠήθησαν εἶναι φύσεις, ὅιον πῦρ, ἢ γῆν, ἤτι τοῦτον ἕτερον, ἀλλ᾽ αὐτὸ τὸ ἄπειρον, καὶ αὐτὸ τὸ ἓν οὐσίαν εἶναι τούτων, ὧν κατηγοροῦνται. διὸ καὶ ἀριθμὸν εἶναι τὴν οὐσίαν ἁπάντων. *Pythagorei vero duo quidem eodem modo dixerunt principia* (finitum ſcilicet et infinitum). *Tantum addiderunt, quod proprium eorum eſt, quod finitum & infinitum & vnum (quod, vt antea dixerat* Ariſtoteles, vtraque illa priora continet) *non putarunt vllas alias eſſe naturas, vt puta ignem aut terram, aut aliud ſimile: ſed ipſum infinitum & ipſum vnum ſubſtantiam horum eſſe, de quibus praedicantur: quare & numerum ſubſtantiam omnium eſſe.* Ex hac igitur Ariſto-

(m) Metaph. L. I. c. 5.

Aristotelis disputatione patere arbitror, ita sibi finxisse Pythagoreos rerum generationem: *fuisse* τὸ ἓν, VNVM, *quod omnes alias res complexu suo contineret; hoc autem neque ignem, neque terram, neque eiusmodi quid, sed omnia indefinite simul fuisse, atque ex ea tantum parte esse considerandum, quatenus causas, rationes atque progressiones totius naturae complectitur: ex isto autem vno prodiisse reliquas naturas omnes, numerorum lege atque ordine, ac primo quidem par atque impar, siue infinitum atque finitum, quae nec ipsa hoc loco tamquam ignis aut terra spectentur, sed quatenus numerorum rationes in iis versantur ad producendam mundi harmoniam* (hanc enim in his verbis inesse vim dudum obseruauimus conf. supra §. IX.): *e quibus deinceps reliquae res ac totum coelum esse effectum.* Iam vero alterum horum principiorum, τὸ ἄπειρον scilicet, hanc habere vim, vt indigestam materiae molem declaret, nemini obscurum est, qui in veterum philosophorum cognoscendis placitis aliquantum est versatus: τὸ πεπερασμένον autem ad indicandam nunc effectionem istam, quae rerum ornatum describit, nunc vero ad ipsam mundi descriptionem adhiberi a priscis philosophis consuesse, itidem in promtu est. Et quod ad Pythagoram attinet, testem habeo PLVTARCHVM, ex Pythagoreorum sententia τὸ πεπερασμένον esse ipsam τὴν μονάδα: & τὸ ἄπειρον significare

ficare τὴν δυάδα (n). Quocirca ipſum τὸ ἕν, VNVM, quod & ex Ariſtotelis auctoritate, cum τὴν μονάδα ſiue τὸ πεπερασμένον, tum τὴν δυάδα ſiue τὸ ἄπειρον, complectitur, ſane quam multum differt ab ipſa monade, quae pars tantum eſt τȣ̃ ἑνός. Intelligitur itaque de conſtituenda Pythagoreorum diſciplina praeclare Ariſtoteli cum Pſeudo-Origene conuenire: ſecundum vtriusque etenim commentationem ex vniuerſa iſta rerum congerie, ſiue ἐκ τȣ̃ ἑνὸς, *ex vno* prodiiſſe τὴν μονάδα, *vnitatem*, quae tamquam effectio atque cauſa deinceps reliquam rerum ſeriem apte deſcripſerit, Pythagorei cenſuerunt. Praeclarum denique inprimis eſt THEARIDAE, priſci cuiusdam Pythagorei, dictum, a CLEMENTE ALEXANDRINO & EVSEBIO relatum (o): ἁ ἀρχὰ τῶν ὄντων, ἀρχὰ μὲν ὄντως ἀληθινὰ, μία· κεῖνα γὰρ ἐν ἀρχᾶ τέ ἐστιν ἝΝ κὴ μόνον. *Vniuerſitatis huius principium, principium vtique verum, vnum eſt; Illud enim ex aeternitate* VNVM *eſt & ſolum.* Quae verba facillimum apertiſſimumque habent ſenſum, ſi ea ad hanc noſtram τȣ̃ ἑνὸς referas definitionem. Hanc enim ipſam ob cauſam priſcus iſte philoſophus de induſtria & cum cautione VNVM illud vocaſſe videatur PRINCIPIVM VTIQVE VERVM, vt ab vnitate ſiue monade iſtud atque a dyade probe diſtingueretur,

(n) PLVTARCH. de Iſid. & Oſir. T. I. oper. p. m. 344.
(o) vid. CVDWRTH. l. c. p. 444.

tur, quae quidem principia itidem vocantur, sed certa tantum ratione, quatenus ἐκ τῦ ἑνὸς, tamquam ex vero principio, primae progredientes, causae deinceps reliquarum rerum existunt. Verum autem principium AB INITIO & ab aeternitate, priusquam discederet & describeretur in plures naturas, VNVM & solum fuit.

§. XIV.

Quid, quaeso, tandem, haec si teneamus, in Pythagorae disciplina aliud inest, quam germana ista expressaque Aegyptiorum & Phoenicum theologia? quae studiose a Pythagora seruata apportataque est in Graeciam: quamquam ante eum etiam Poëtae fabulis suis eandem fere seculi essent philosophandi rationem, neque aliud quid fecisse Pythagoras videatur, nisi, quae Poëtarum commentis satis iam obscurata erant, vti ea densioribus etiam tenebris, obscura ista spinosaque numerorum ratione, circumfunderet. Quae quidem ipsa res eam, quam dedimus, numerorum Pythagoreorum explicationem mirifice confirmat. Multo certe probabilius cuiuis videatur, magistrorum auctoritatem secutum Pythagoram esse, cum praesertim tot tamque clara huius rei exstent argumenta, quam nescio quae mysteria comminiscendo, talia eum tradidisse, qualia nec a quoquam ista quidem aetate accipere potuit; & quae subtilitate sua ab istius aeui conditione, quo naturalium rerum quae-

stiones

ſtiones vix dum inter Graecos naſci coepiſſent tantopere videntur diſcrepare. Ipſe vero Pythagoras vix is fuiſſe videatur, qui tantum ſibi ſumeret libertatis atque animi, vt relicta maiorum auctoritate ipſe prorſus nouam moliretur diſciplinae formam, cuius tota vita haud leuem habet ſuperſtitioſi ingenii ſuſpicionem. Vt enim diſcipulorum inſtitutionem omittam, quam ab aliis iam obſeruatum eſt vniuerſam prodere eius generis ſuperſtitioſorum hominum arrogantiam, non tam ratione, quam auctoritate atque praeſtigiis hominum animos regere cupientium (p); quale, quaeſo, illud eſt, quod Pythagoram Diogenes Laertius refert, quo Crotoniatibus perſuaderet, cum diis quandam ſibi intercedere conſuetudinem, in ſpelunca abdidiſſe ſeſe, comparataque matre ſua, quae ſibi, quidquid in oppido interea temporis gereretur, renuntiaret, reuerſum poſtea ad Crotoniates, expoſitis ſingulis, quid quisque eorum egiſſet, iactaſſe ab inferis ſe eſſe reducem: vbi cum vidiſſet exquiſita ſceleratorum tormenta, aequum eſſe, vt Crotoniates, ſi quidem eius generis cruciatus effugere velint, ſuis obtemperent praeceptis (q)? Quid aureum iſtud femur, quod oſtentaſſe Pythagoras dicitur (r)? Quid genealogia iſta, quam ab Apolline ductum ad ſe vsque deriuabat, comminiſcens, praecipuum ſibi a diis id mune-

(p) conf. BRVCK. l. c. §. 15. p. 1029.
(q) Diog. L. VIII. ſ. 41.
(r) PLVTARCH. in Numa. T. II. oper. p. m. 44.

muneris esse concessum, vt, quidquid in superioribus corporibus anima sua gessisset, recordaretur (s)? Taceo alias eiusdem modi ineptas fraudes. Hoc ingenio qui sunt, ii vix vnquam praeclari quidquam ipsi pariunt: vndique, quod e re sua esse putant, corradere, atque illud, quamquam notissimae nonnunquam maximeque vulgares res sint, variis inuoluere praestigiis, vt miraculorum instar apareant, hisque rebus, quam maximam possunt, apud imperitos auctoritatem sibi constituere; id vero est, quod huius generis homines agunt. Cuius quidem rei Pythagoras insigne videtur specimen esse: neque reliqua eius instituta aliud quidquam continent, nisi vt, Aegyptiorum, superstitiosissimi populi, mores imitatus, discipulos suos ad illud traduceret disciplinae genus, quod ad sanctitatis, sapientiae atque eruditionis famam sibi comparandam tam prospero successu adhiberi in Aegypto viderat. Neque prisci iam prudentes homines vafros versutosque hos Pythagorae mores non vidisse putandi sunt. Xenophon certe hanc ipsam ob causam Platonem carpit, quod *Ἀιγύπτȣ ἠράσθη κ̀ πυθαγόρȣ τερατώδȣς σοφίας, portentosam Aegyptiorum & Pythagorae sapientiam consectatus sit* (t). Haec vero cuncta magnam afferunt suspicionem, ne in placitis atque praeceptis quidem longe Pythago-

(s) DIOG. LAERT. l. c. §. 4.

(t) in fragm. Epist. apud EVSEB. de Praepar. euang. L. XIV. c. 12.

thagoram ab Aegyptiorum discessisse rationibus. Ad Pythagorae discipulos deinde cum accedimus; vix quisquam eorum est, cuius quidem de sententiis quidquam ad nos peruenit, quin eodem, quo diximus, modo, vniuersum aliquod, omnia omnium rerum initia suo continens complexu, primum fuisse statuerit, ex quo singula naturae elementa protrusa quasi sint & educta, sicque totius mundi ornatus ordine & ratione perfectus. Quod quidem in singulis Pythagorae discipulis ostendamur necesse non est, cum, quae celeber. BRVCKERVS de Pythagoreorum placitis disputat, hanc nostram abunde confirment sententiam (u). Empedoclis tamen rationem quin paucis referam, facere non possum, propterea quod totam istam, quam Pythagoras ab Aegyptiis accepisse videtur, Cosmogoniam, illius exemplo maxime illustrari posse, ego quidem arbitror. Huius autem sententiam optime omnium PETRVM PETITVM assecutum censeo (w): collatis enim singulis, quae a veteribus tradita sunt, Empedoclis placitis, plane probatur mihi viri istius eruditi explicatio, in qua haec fere inest sententia: *Empedoclem quatuor solum elementa, aquam, terram, aërem & ignem, sempiterna, semper eadem, immutabilia, atque adeo deos habuisse: haec elementa existere alternis vicibus, modo indefinita atque confusa in vniuersa ista rerum mole,*

(u) l. c. Sect. II. p. 1101. seqq.
(w) apud MENAG. ad Diog. L. III. f. 10.

le, quam SPHAERVM *Empedocles vocabat, quo in ſtatu quieſcant: modo eadem conſpici in mundo, cum ex diiunctis iſtis atque varia ratione digeſtis producantur adſpectabilia corpora; tum vero ea iterum quieſcere: congregari vero elementa infinitis viciſſitudinibus nunc e corporibus in ſphaerum, per diſſolutionem, nunc ex ſphaero per generationem in corpora: atque eam congregationem effici* διὰ τὴν φιλίαν, *per amicitiam, quae ex pluribus vnum faciat: educi contra eadem aut ex ſphaero, atque moueri, vt mundus gigni poſſit, aut diiungi, vt corpora intereant* διὰ τὸ νεῖκος, *per litem, quae plura ex vno producat: ita per vices innumerabiles mundos exiſtere & interire, non eodem tempore ſimul, vt Democritus volebat, ſed deinceps.* Veterum autem teſtimonia, quibus PETITVS hanc Empedocleae rationis explicationem probatam dat, qui cupit noſcere, ne longior ſim, quam res poſtulat, ipſum adeat MENAGIVM. Neque illud fortaſſe huic repugnat explicationi, quod eſt apud PSEVDO-ORIGINEM, ſtatuiſſe Empedoclem, συνεςάναι ἐκ πυρὸς τὰ πάντα, καὶ εἰς πῦρ ἀναλυθήσεσθαι, conſtare ex igne omnia, atque in ignem reſolutum iri (x). Vt enim τὸ νοερὸν πῦρ cauſa eſt efficiens mundum; ita & diſſolutionem mundi huius ipſius ignis ope Empedocles fortaſſe potiſſimum accidere, ideoque omnem τῆς φιλίας καὶ τῦ νείκυς vim ineſſe in

(x) c. 3. p. 49.

in eodem igne voluit. Quamquam igitur hoc proprium quidquam atque priuatum Empedoclis videtur esse, quod infinitos per vices mundos nunc existere nunc interire voluit; neque tamen idem illud inauditi quid in Pythagoreorum schola erat, quandoquidem HIPPASVS quoque, à quo Heraclitus atque Stoici istam mundi acceperunt ἐκπύρωσιν, simile quidquam docuisse traditur (y); & ipsa illa Pythagorae reliquorumque Pythagoreorum de generatione mundi ἐκ τȣ͂ ἑνὸς sententia ita praeclare his Empedoclis decretis illustratur, vt fere nihil possit supra. Huius enim sphaerum illud ipsum est τὸ ἕν, VNVM, ex quo Pythagoras pariter atque Empedocles non monada solum, quae sit τὸ νοερὸν πῦρ, *intellectu praeditus ignis*, sed & reliqua rerum elementa, vniuersumque mundi ornatum prodiisse arbitrati sunt. Ex quo verisimile redditur & illud, τὴν φιλιαν ϗ τὸ νεῖκος, *amicitiam & litem*, nihil aliud sibi velle in Empedoclis ratione, nisi vt leges istae generandi mundi, quae fato continentur, quasque Pythagoras numerorum texit similitudine, aliis duntaxat, &, vt forte putabat Empedocles, apertioribus paullum vocabulis enuntiarentur. Neque inter Empedoclearum sententiarum reliquias, quotquot earum apud priscos scriptores legere mihi quidem contigit, quidquam exstat, quod Empedoclem declaret statuisse praeter quatuor ista elementa mentem quandam diuinam, quae prae-

(y) PLVTARCH. de Pl. phil. L. I. c. 3.

praeſit quatuor elementis: multa contra adſunt, quae contra eiusmodi coniecturam pugnare videantur. Quae enim Empedocles de ratione diuina atque de animorum immortalitate traditur docuiſſe, ex genuina Pythagoreorum diſciplina atque ex vnis quatuor elementis praeclare explicari poſſunt, quam explicationem vide ſis apud BRVCKERVM (z). Haec igitur cum communis ſit omnium Pythagoreorum ſententia de origine mundi ex confuſa quondam atque vniverſa rerum omnium congerie: cumque eandem illam rationem gentibus placuiſſe reperiamus iis, a quibus ſuam Pythagoras philoſophiam accepit: atque ipſi denique Pythagorae tale quid ab auctoribus aperte tribuatur fide dignis; hanc quidem, quam poſuimus, differentiam τȣ̃ ἑνὸς, VNIVS, ſiue indefiniti numeri, qui ſit rerum quondam indigeſta moles, & τῆς μονάδος, VNITATIS, ſiue ignis intelligentia gaudentis; qui tamquam vniuerſi nobiliſſima pars atque cauſa efficiens mundum, reliquam rerum molem deſcripſerit exornaueritque ratione & prudentia, tantam habere probabilitatem arbitror, quantam vix aliud, quod Pythagorae placuiſſe traditur, decretum vllum. Lucratur tamen hic idem Pythagoreae philoſophiae locus ex antiqua illa Eleaticorum ſchola nonnihil lucis, quam Italicae ſcholae propaginem fuiſſe in confeſſis eſt. Ponebant autem primi illi Eleatici, XENOPHANES, ZENO & PARMENIDES, τὸ ἓν, VNVM, quod ſit to-

M 2 tius

(z) l. c. §. 7. 1112. ſeqq.

tius naturae complexus atque summa: quodque & Deus sit, & omnia simul (a), quam Parmenidis sententiam Plato in obscurissimo, qui Parmenides inscribitur, dialogo, ad idearum rationem inepte transtulit. Neque vero hoc quisquam proprium dixit esse Eleaticorum: sed quod ipsum illud τὸ ἓν immutabile esse dixerunt, omnemque sustulerunt ex rerum natura non generationem modo atque corruptionem, sed omnino motum & actionem, id vero est, quod Pythagoreorum rationi opposuisse iidem dicuntur. Perspicientes enim isti philosophi, illud quod aeternum sit, & sua se natura ipsum sustentet; vlli mutationi obnoxium esse non posse; ex vno illo, seu vniuerso rerum ambitu, a quo generationis mundi initium proficisci, Pythagorei contendebant, omnem eiusmodi mutationem atque motionem tollere coacti sunt (b). Quanquam quod ad istam τοῦ ἑνὸς immutabilitatem attinet, nonnullum inter Xenophanis & Parmenidis decreta discrimen agnoscat summe venerand. MOSHEMIVS (c). Intellegitur itaque, quale sit illud Pythagoreum ἓν, cuius rationem Eleatici ex ea tantum parte immutarunt, quatenus mutatio quaedam in illo inesse putatur: est nimirum vniuersa naturae moles, omnes comple-

(a) ARISTOT. Metaph. L. I. c. 5.
(b) Conf. celeb. ERNESTI obseruat. ad elegantem, quam curauit, Memorabil. Socrat. editionem p. 6. not. p.
(c) ad CVDWORTH. p. 462. not. 1.

plectens reliquas naturas, quas per partes inde progressas esse Pythagorei volebant, repugnantibus Eleaticis contendentibusque, immobile & immutabile esse τὸ ἓν, atque tale semper fuisse & futurum esse, quale nunc est. Quocirca & sensibus fidem Eleatici derogabant omnem, quibus rerum mutationes percipere videamur. Quo loco tamen rursus Illustris MOSHEMIVS, Parmenidis partes suscipiens, non omnino eum sensibus fidem denegasse contendit: sed incerta tantum ea esse, quae sensibus videntur (d): Quod etiamsi ita sit, ad rem propositam nihil interest. Neque in alia vlla re differre τὸ ἓν Pythagoreum, ab eo, quod Eleatici ponebant, praeterquam in isto, quod notauimus, discrimine, ipsius Parmenidis maxime placita declarant: qui siue iam eandem, quam Xenophanes atque Zeno rationem re probaret siue minus, coactus certe in explicandis naturae euentis ea sequi, quae sensibus videmus percipere, τὸ ἓν illud plane Pythagoreorum more in duas tribuebat partes, τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν, *calidum & frigidum* (e); quocirca vnde ipsum τὸ ἓν adsciuerint Eleatici, quamque illud habeat vim, obscurum esse non potest. Quod certius etiam erit, si eam Parmenideae sententiae explicationem probemus, quam Ill. MOSHEMIVS acutissime in medium attulit, secundum quam Parmenides totus Pythagoreus erit, cui Deus subtilissimus ignis sit, at-

(d) l. c. p. 468. not. 9.
(e) Aristot. l. c.

que τὸ ἓν nihil aliud valeat, quam illa vniuersitas rerum, quam ἐν τῷ ἑνὶ Pythagorae versari contendimus (f). Omnino, vt paucis totum argumentum concludam, tam late manauit ista τοῦ ἑνὸς ratio, vti ante Anaxagoram, qui primus antiquissimam memoriam purae simplicisque mentis, quae non sit pars vniuersae primaeque materiae, sed perfecte liberi separatique quid, obliteratam penitus & neglectam reuocavit, nec inter Aegyptios Phoenicesque ista quidem tempestate, neque inter Graecos quisquam reperiatur, quin ex primo isto totius naturae ambitu Deum pariter ac reliquas naturas omnes ortum esse statuerit. Haec autem opinio quam remotam sapiat vetustatem PLVTARCHVS nos doceat, orphicis placitis huc translatis, ostendens, ouum istud ex quo mundum generatum esse Orpheus contendebat nil aliud esse, nisi signum vniuersitatis rerum, ante generatum mundum omnes reliquas naturas sinu suo complectentis: ἀείσω - - τὸν ὀρφικὸν καὶ ἱερὸν λόγον, ὃς οὐκ ὄρνιθος μόνον τὸ ὠὸν ἀποφαίνει πρεσβύτερον, ἀλλὰ καὶ συλλαβὼν ἅπασαν αὐτῷ τὴν ἁπάντων ὁμοῦ πρεσβυγένειαν ἀνατίθησι - - - - - - ὅθεν οὐκ ἀπὸ τρόπου τοῖς περὶ τὸν διόνυσον ὀργιασμοῖς, ὡς μίμημα τοῦ τὰ πάντα γεννῶντος καὶ περιέχοντος ἐν ἑαυτῷ συγκαθοσίωται. *Canam orphicum & sacrum sermonem, qui non modo ouum ostendit aue antiquius esse, sed & vniuerse omnem omnium rerum generationem simul ad illud refert - - - - -*

quare

(f) l. c.

quare haud ineoneinne in Orgiis Baehi ouum tamquam signum illius naturae, quae omnia procreat, omniaque complectitur, consecratum est (ff). Quae cum ita sint, quid vetat, quo minus IESAIAM Prophetam τὸ ἓν illud harum gentium illiusque cultum reprehendisse dicamus, Cap. LXV. com. 17. quem prophetae locum ita interpretatur IOSEPHVS SCALIGER cumque eo IOHAN. SELDENVS (g): *Februationes & lustrationes Deo illi siue idolo fieri, quem Deum ipsi vocarunt* ACHAD, *id est*, VNVM. *idque in medio hortorum, qui illi idolo dicati: in opisthodomo templi: subintelligendum enim templum: pone templum Aehad. Nam praepositio* אחר, *qua vtitur propheta, est localis, vt etiam sic accipitur ab omnibus Iudaeis: & Ionathan vertit* בתר; ὄπισθεν &c. De cultu certe falsi & commentitii cuiusdam dei ibi sermonem esse, perspicuum est: neque etiam suem in sacris faciendis adhiberi Aegyptiis inusitati quid erat; neque sacra illa, quae sue fiebant a cultu τȣ̃ ἑνὸς fortasse aliena sunt. Sed haec quaestio alium eumque latiorem requirit locum: redeamus igitur ad rem propositam. Pythagoras cum ἐκ τȣ̃ ἑνὸς, ex vniuersa primae materiae mole & ipsius monadis & reliquam mundi originem deduceret; noua hoc loco quaestio exoritur, nostrone duntaxat intelligendi concipiendique modo ita philosophatus sit, quam-

M 4 quam

(ff) Couiuial. serm. L. II. c. 3. T. I. oper. p. m. 676.
(g) SELDENVS de Dis syr. syntagm. I. c. 6. p. m. 179.

quam ab omni aeternitate hic, qui nunc eſt, mundi ornatus adeſſet: an vero ipſa re quondam ea, qua dixit, ratione initium habuiſſe mundum atque ἐκ τοῦ ἑνὸς prodiiſſe ſit arbitratus? STOBAEVS certe ita Pythagoram de mundi generatione ſenſiſſe affirmat, eſſe quidem eum a Deo effectum: non vero in tempore, ſed in intellectu diuino (h). Quae ſi vera ſunt, Pythagoras mundum aeternum credidiſſe omnino putandus eſt: neque tota iſta de generatione mundi diſputatio aliud quidquam ſibi velit, niſi vt definiantur quodammodo cauſae rerum, intelligaturque ex quo quidque conſequatur & quomodo? Quam quidem eandem rationem OCELLVS LVCANVS ſecutus eſt, mundum ſtatuens aeternum eſſe, qui nec ortus vnquam ſit, nec finem ſit habiturus: quamquam nonnulli iſtam mundi aeternitatem, quam Ocellus probauit, non ad ipſum illius ornatum deſcriptionemque: ſed ad vniuerſam duntaxat materiae molem traduci velint, quam putant ab Ocello, reliquorum philoſophorum exemplo, aeternam creditam eſſe (i). Quin & Platoni tale quid tribuitur apud ALCINOVM: *Cum genitum vult Plato eſſe mundum; non hoc eum voluiſſe putandum eſt, vt tempus fuerit aliquod, quo mundus non eſſet: verum quia ſemper in generatione perſiſtit, eſſentiaeque ſuae praeſtantiorem aliquam magisque principalem eſſe cauſam indicat* (k). Attamen,

(h) Eclog. phyſic L. I. c. 25.
(i) conf BRVCK. l. c. § X. n. 1, 2. p. 1124.
(k) Alcin. C. XIV. apud Stanl. p. 340. verſ. lat.

tamen, quos Pythagoras secutus est, Aegyptios mundo initium omnino tribuisse aparet: neque Pythagoreorum antiquiorum maxima pars aliter vnquam sensit. Quare cum praeter Stobaeum caeteri scriptores omnes eandem Pythagorae mentem adscribant; maiori certe probabilitate posse dici arbitror, mundum secundum Pythagoram omnino generatum esse. Quod quidem cum sententia antiquissimarum gentium apprime consentit, quibus creati mundi memoria, quam a maioribus acceperant, ita in animis haesit, vt nulla plane, quin eam crediderit, inueniri queat. Aeternitas enim mundi a Graecis sequenti demum tempore efficta atque excogitata videtur esse. Stobaei certe testimonium hoc loco suspectum esse vehementer, celeber. BRVCKERVS recte obseruat (l). Atque Platonis etiam mentem hac in parte a successoribus esse corruptam accommodatamque ad Aristotelis rationes, itidem viri docti dudum viderunt (m). Ocellus Lucanus vero, si quidem omnino aeternitatem mundi adseruit, quod tamen dubium esse antea ostendimus, pressus fortasse Eleaticorum argumentis de immutabilitate τȣ ἑνὸς, cessisse istis hac ex parte videri possit, vt, quamuis non omnem tolleret e natura motum, descriptionem tamen rerum ipsumque

(l) l. c. p. 1087.
(m) vid. Auctores Angli histor. orb. vniv. In der Einleitung sect. I. §. 9. MOSHEM. de creat. mund. ex nihilo. §. 29. seqq.

que mundi ornatum ſtatueret ab omni aeternitate adfuiſſe. His certe ipſis argumentis de aeterna conſtantia eius, quod primum eſt in natura, Ariſtoteles poſtea adductus mundi aeternitatem eodem fere modo, quo Ocellus a plerisque creditur, probauit, tantum addens ex Platonis diſciplina quintam iſtam naturam, eamque compoſitioni mundi intexens, quam Pythagoreos ignoraſſe oſtendimus. Quod ad finem vero mundi attinet, quem Pythagoram negaſſe PLVTARCHVS auctor eſt (n), prorſus ſubſcribo eruditiſſ. BRVCKERI ſententiae: *valde timemus*, inquientis, *ne Plutarchus, vel quisquis libelli de placitis philoſophorum auctor eſt, Platonis dogma cum Pythagorico confuderit. Si enim expoſitam hactenus phyſiologiam Italicam ſupponimus; mundus neceſſario finem habet: cuncta enim in monada* (ſeu potius, vt docuimus, εἰς τὸ ἕν, in vniuerſum) *ſtatumque chaoticum redeunt, & ex monade* (ἐκ τῦ ἑνὸς) *nouus mundus oritur. Vnde Philolaus duplicem mundi interitum, igne & aqua, adſeruit* (apud Plutarch. de Plac. ph. L. II. c. 5.): *quae apud barbaros quoque fuere recepta, quos praeceptores habuit Pythagoras* (o).

§. XV.

Ex iſta igitur vna atque vniuerſa totius materiae colluuie quaſi, ordine ſinguli prodierunt numeri,

(n) de Plac. Phil. L. II. c. 4.
(o) l. c. p. 1088.

numeri, ſiue elementa rerum, ea lege coniuncta inter ſe & copulata, vt ſeries quaedam cauſarum euentuumque inde in mundo efficeretur. Monas vero, ſeu vnitas, nobiliſſima primae materiae pars, prima emerſit, ordinis poſtea atque deſcriptionis naturae initium futurum. Alterum deinde principium, ſiue numerus ſecundus, dyas eſt, ſeu binarius: de quo ORIGENIS philoſophumena: δεύτερον ἡ δυὰς, θῆλυς ἀριθμὸς, ὁ δὲ αὐτὸς καὶ ἄρτιος ὑπὸ τῶν ἀριθμητικῶν καλεῖται. *Hanc* (monada) *ſequitur numerus binarius, foemina: hic vero ipſe ab arithmeticis etiam appellatur par & integer* (p). Huius dyadis vt intelligamus quae ſit vis, quodque munus, omiſſis quidem ſcholae Alexandrinae ineptis commentis, primum id teneamus, antiquiſſimo cuique hiſtoriae philoſophicae interpreti, qui partium ſtudio non ſit ductus, aliud quid in mentem non veniſſe in exponenda Pythagorae dyade, praeterquam materiae genus, quae ſit monadi, ſiue mentis effectioni ſubiecta, vt efficiatur aliquid. DIOGENES LAERTIVS certe: ἀρχὴν μὲν τῶν ἁπάντων μονάδα, inquit, ἐκ δὲ τῆς μονάδος, ἀόριστον δυάδα, ὡς ἂν ὕλην τῇ μονάδι, αἰτίῳ ὄντι ὑποστῆναι. *Principium quidem omnium eſſe vnitatem: porro ex vnitate indefinitam dualitatem,* VELVTI MATERIAM *auctori, vnitati, ſubieciſſe* (q). Totidem fere verbis PLVTARCHVS: πάλιν δὲ τὴν μονάδα καὶ

(p) c. 2. p. 32.
(q) L. VIII. ſ. 25.

ϰ̀ τὴν ἀόριστον δυάδα ἐν ταῖς ἀρχαῖς· σπέυ--- δὲ αὐτῷ τῶν ἀρχῶν ἡ μὲν ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον ϰ̀ εἰδικὸν ------ ἡ δὲ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε ϰ̀ ὑλικὸν, ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος. *Item postea vnitatem & indefinitam dualitatem in principiis* (refert Pythagoras): *pertinet vero ex eius sententia principiorum illud quidem* (vnitas) *ad causas efficientium & intellectualium rerum: hoc autem* (dualitas), AD MATERIAM QVAE PATITVR ET EFFICITVR ALIQVID, *qualis est adspectabilis mundus* (r). Idem PLVTARCHVS alio loco: πυθαγόρας τῶν ἀρχῶν τὴν μὲν μονάδα θεὸν ------ τὴν δὲ ἀόριστον δυάδα, δαίμονα ϰ̀ τὸ κακὸν, περὶ ἣν ἐστι τὸ ὑλικὸν πλῆθος, ἔστι ϰ̀ ὁρατὸς ὁ κόσμος. *Pythagoras principiorum alterum, vnitatem nimirum, Deum vocat ------ alterum vero, dualitatem, daemonem statuit & malum, per quam existit* MVLTITVDO CORPOREARVM RERVM, *atque ipse mundus sensibus percipitur* (s). Atque, si quidem Pythagoras toto isto numerorum genere, non intellectuales quasdam aut a corpore remotas naturas, sed ipsa mundi elementa eorumque ordinem atque seriem complexus est, quod, ni fallor, supra perspicue ostendimus; quî possit, quaeso, alia dyadi subiecta esse vis, nisi, cum monadi, quae est causa efficiens mundum, opponatur, vt materiam istam significet, ex qua totius mundi ornatus effectus est.

(r) de Plac. ph. L. I. c. 3.
(s) l. c. Cap. 7.

eſt. Quocirca Pythagorei dyada etiam foeminam appellarunt, quod ex ea, monadis tamquam effectionis atque patris ope, deſcripta atque definita corpora ſunt generata: hoc enim ipſo conſilio priſcos philoſophos deorum alios mares, alios foeminas appellaſſe, dudum a viris doctis demonſtratum eſt (t). Neque iuniorum interpretum plerique non viderunt, aliam dyadi vim tribui vix poſſe: tantum addiderunt nonnulli, iſtam, tamquam materiam, a monade ſiue Deo creatam genitamque eſſe, quod quidem eo vsque extendunt, vt fere creationem ex nihilo Pythagoram ſtatuiſſe contenderent (u). Huius autem opinionis infirmitatem ſatis caſtigauit illuſtr. MOSHEMIVS (w). Quapropter illa duntaxat relinquitur quaeſtio, an emanando fortaſſe atque effluendo ex Deo dyas ſiue materia ſecundum Pythagoram nata & exorta ſit? Quod quidem omnino ita ſe habere arbitror, ſi Deum non monada iſtam, quae pars eſt vniuerſi, dicas, ſed ipſum potius vniuerſum, τὸ ἓν illud, ſiue totum primae materiae complexum atque congeriem, de qua copioſe paragrapho ſuperiori diſputauimus. Quo minus enim craſſioris materiae molem ex monade, ſiue intelligente iſto igne, condenſato quaſi & exſtincto, quod Heraclitus Stoicique volebant, Pythagoram deduxiſſe

(t) conf. BRVCK. l. c. L. I. c. 1. §. 15. p. 392. MOSHEM. l. c. p. 550.

(u) Conf. ERVDIT. ANGL. Hiſt. orb. vniv. Introd. ſ. II. §. 56.

(w) Differt. de creat. ex Nihilo, §. XIII. ſeq.

ſe credamus, non illud ſolum obſtat, quod ſupra de duplici Pythagorae principio dictum eſt: ſed & omnium fere auctorum vnus conſtantiſſimusque conſenſus, qui dyada pariter atque monada, tamquam diuerſas ſeparataſque naturas ita definiunt, vt neutra ab altera orta, ſed vtraque potius ex vniuerſo, ſeu ἐκ τȢ ἑνὸς, aequaliter educta eſſe videatur. Quo praecipue copioſa ſpectat ARISTOTELIS diſputatio, Pythagoram duo, eaque contraria rerum principia ſtatuiſſe probantis, quorum vtrumque ἐκ τȢ ἑνὸς ortum ſit (x). Pertinet & huc tota PSEVDO-ORIGENIS oratio de vno & de genitis ex iſto monade & dualitate (y). PLVTARCHVS vero id vnum acerrime agit, vt monada & dyada in Pythagorae diſciplina toto genere differre euincat (z). Nec, quae monadi pariter ac dyadi a Pythagoreis adſignantur, virtutes temere patiuntur, vt alteram ex altera genitam iudicemus. PLVTARCHO enim ſi fides habenda eſt; aeque longo interuallo vtriusque naturam ſeparabant Pythagorei, ac Plato naturam mentis a materia monada vocantes τὸ ἀγαθὸν, vt Plato τὴν ἀρχὴν τῶν ἀρίςων: dyada vero τὸ κακὸν, τὸ ἄπειρον, τὸ καμπύλον, *malum*, *indefinitum*, *curvum* (a). Vnde eodem modo, quo Plutarchus alio loco de Platone oſtendit (b), de Pythagoreis

(x) vid §. ſuper.
(y) vid. §. cit.
(z) de Iſid. & Oſir. T. I. op. p. 344.
(a) PLVTARCH. l. c.
(b) de generat. anim. T. I. op. p. 635.

reis etiam efficitur, non posse ex ipsorum sententia materiam tam prauam corruptamque ab ipso Deo, qui sit optimus, originem duxisse. Stoici enim, qui & ipsi mali sedem in materia ponebant, cum eandem statuerent ex Deo ortam esse, vix vnquam tam grauibus acerbisque verbis de materiae malignitate conquesti deprehenduntur, nisi quando Platonis auctoritate commoti, huius nonnunquam loquendi formulis vsi sunt: id quod SENECAE inprimis multis locis videtur accidisse. Sed hoc loco vnus occurrit DIOGENES LAERTIVS, qui dyada ex monade ortam esse velit (c): in cuius tamen verbis statim videbimus nihil inesse, quod emanationem quandam crassioris materiae ex monade siue igne adstruat. Antea vero istuc teneamus necesse est, in dyadis ratione materiam equidem, sed eam adhuc indigestam indefinitamque versari. Etenim ignis ope & actione materiam in tres tributam esse ac descriptam partes deinceps declarabitur: prius vero, quam accideret ista diuisio, materia crassior commista quasi iacebat & confusa, neque definiti quid aut distincti in ea licebat obseruari: atque hic quidem iste status materiae est, quem dyadis nomine complexus esse Pythagoras videatur. Inde enim factum est, vt dyas ἀόριστος semper audiat, id est, indefinita, nullisque numeris rationibusue adhuc descripta: dicitur eadem & ἄπειρος, *infinita*, cuius nec forma nec fines obseruari licebat; cum

(c) DIOG. l. c.

cum contra ἡ μονὰς appelletur πεπερασμένη, *definita*, in qua ratio & prudentia inerat, quibus natura τῆς μονάδος determinata pulcerrimeque exornata erat (d). Omnium vero clarissime ista materiae indigestae forma, quae dyade continetur, EMPEDOCLIS declaratur ratione, de qua haec sunt apud ARISTOTELEM: ἐμπεδοκλῆς - - - - - τὰ ὡς ἐν ὕλης εἴδει λεγόμενα στοιχεῖα, τέτταρα πρῶτος ἔιπεν. οὐ μὴν χρῆταί γε τέτταρσιν, ἀλλ᾽ ὡς δυσὶν οὖσι μόνοις. πυρὶ μὲν καθ᾽ αὑτὸ, τοῖς δὲ ἀντικειμένοις ὡς μιᾷ φύσει, γῇ τε, καὶ ἀέρι, καὶ ὕδατι. *Empedocles - - - - - elementa, quae in materiae specie dicuntur, quatuor esse primus asseruit: non tamen eis vt quatuor vtitur, sed tamquam duo essent sola: igne quidem per se ipsum: oppositis vero, terra, aëre & aqua, tamquam vna natura* (e). Quo sensu Empedoclem Aristoteles primum dixerit, qui in quatuor elementa tribuerit rerum naturam, id quidem antea iam ostensum est: nunc vero illud intelligamus, quae sit dyadis vis, quoque consilio Pythagorei in duas primum partes omnem rerum complexum descripserint. Altera nempe pars, eaque nobilior, ignis est, siue ἡ μονὰς, tamquam causa efficiens mundum: altero vero rudis est indigestaque materiae crassioris moles, quae quamuis trium elementorum, aëris nimirum, aquae atque terrae semina quasi complecteretur; confusa

(d) PLVTARCH. l. c. ARISTOT. Metaph. L. I. c. 5.

(e) ARISTOT. l. c. cap. 4.

ſa tamen iſta tria elementa, commiſta, nec dum diſcreta ſpectabantur in dyadis ratione. Ex his ſequitur, vt dyas Pythagorae illud ipſum ſit Phoenicum chaos, quatenus illud tamquam colluuies quaedam craſſioris materiae a Phoenicibus ſubtiliori opponebatur ſpiritui, a quo ex eorum ſententia motus initium factum eſt. Aeque perſpicue tota iſta ratio, qua Pythagorei vniuerſitatem rerum in duas primum diſceſſiſſe naturas credebant, in alio quodam Empedoclis loco ineſt, qui eſt apud PLVTARCHVM: Ἐμπεδοκλῆς τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ᾽ ᾧ τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἄγαν περισφιγγομένης τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ. *Empedocles* (putat) *primum ſecretum fuiſſe aethera, deinde ignem, poſt terram, qua nimis in arctum coacta ob impetum circumagitationis aqua ebulliit* (f). Habes coſmogoniam Pythagoreorum. Ex vniuerſa nimirum iſta rerum mole, ſeu ἐκ τοῦ ἑνὸς, ſubtiliſſima pars, quae prima emerſit & ſecreta eſt, aether & ignis vocatur: vnde, quod in iſto loco continuo addit Plutarchus, coelum ideoque dii & diuina omnia exorta ſunt. Quae quidem decreta non Aegyptiorum Phoenicumque magis propria cenſenda ſunt, quam omnium fere antiquitatis gentium: quare iam ENNIVS, quam late manauerit haec opinio, oſtenſurus: *adſpice*, inquit, *hoc ſublime candens, quem inuocant omnes*

(f) de Plac. phil. L. II. c. 6.

omnes Iouem, patrem diuumque hominumque (g). Neque enim aetherem atque ignem duplicem Empedocli naturam esse, sed vnum idemque principium, diuersa duntaxat ratione spectatum, supra vidimus. Illustri deinde huic rei PHERECYDES SYRVS argumento est, in cuius dicto quodam, a DIOGENE seruato, haec inest sententia: Ζεὺς μὲν καὶ χρόνος εἷς ἀεὶ, καὶ χθὼν ἦν· χθονίῃ δὲ ὄνομα ἐγένετο γῆ. *Iupiter quidem atque tempus* VNVM *semper & tellus erat: terrenae autem nomen erat telluri* (h). Quo loco in Ioue aetherem intelligi debere ex HERMIA ostendit, multaque erudite monet celeber. BRVCKERVS, quae ad illustrandam etiam Pythagoreorum cosmogoniam praeclare transferri possunt (i). Nec minus istud Pherecydis dictum ad ea comprobanda egregie facit, quae de differentia τοῦ ἑνὸς & τῆς μονάδος supra disputata sunt. Altera vero vniuersitatis pars, crassior scilicet materia, terra ab Empedocle & a Pherecyde vocatur, neque id sine consensu totius propemodum antiquitatis. Etenim ipsi illi Pythagoreorum, qui crassiorem materiam ex igne exstincto condensatoque genitam esse voluerunt, primum quod genitum ignique siue aetheri oppositum est, terram esse affirmant. Ita nimirum HIPPASVS: πρῶτον τὸ παχυμερέστατον αὐτοῦ (τοῦ πυρὸς κατασβεννυμένου) εἰς αὐτὸ συστελλόμενον γῆ γίνεται. *primum densissima*

(g) apud CICER. de N. D. L. II. c. 2.
(h) DIOG. LAERT. L. I. ſ. 119.
(i) l. c. sect. 1. §. 3. p. 986. seq.

ma pars (exſtincti ignis) *contracta in vnum, terra fit* (k). Quocirca antiquiſſimarum gentium ſapientibus ſolemne fuit, totam rerum vniuerſitatem coelo & terra complecti. Doctrinae inprimis Orphycae veſtigia cum his praeclare conſentiunt: Orpheus enim eodem profecto, quo Empedocles, modo diuinam naturam, quae ſit ſubtiliſſima materiae pars, ex INFINITO, ſiue ex VNO primam prodiiſſe ſtatuit LACTANTIO auctore: *Orpheus*, inquiente, *Deum verum & magnum πρωτόγονον, id eſt, primigenitum, appellat: quod ante ipſum nihil ſit genitum, ſed ab ipſo ſint cuncta generata. Eundem etiam Φάνητα, id eſt, aparentem, nominat: quod cum adhuc nihil eſſet, primus ex* INFINITO *aparuerit & exſtiterit. Cuius originem atque naturam, quia concipere animo non poterat, ex aëre immenſo natum eſſe dixit*: πρωτόγονος Φαέθων περὶ μήκεος ἠέρος υἱός. *Hunc ait eſſe omnium deorum parentem, quorum cauſa coelum condiderit* (l). Similia habes in CLEMENTIS RECOGNIT. vbi ex ſempiterno chao, quod omnia ſimul, & ſemper VNVM fuerit, prodiiſſe dicitur principium quoddam reliquarum rerum, ORTVM EX MATERIA PVRIORI atque inde diſcretam eſſe rerum vniuerſitatem in COELVM atque TERRAM (m). Quod vero eodem loco Orpheus

N 2 dicitur

(k) Plutarch. l. c. L. I. c. 3.
(l) de Falſa Relig. L. I. c. 5. p. m. 30.
(m) conf. IABLONSKY. l. c. L. I. c. 2. §. 8. p. 41.

dicitur principium istud aethereum distinxisse ab igne, tamquam quarto elemento, id quidem necesse non est ita capiamus, quasi Orpheus quinque elementa probauerit: pulcerrime enim tota res ex Empedoclea explicari potest ratione. Non sine causa itaque Plato Pythagoram significat Orphei vestigia legisse (n), atque inde verum sit & illud, quamquam orphica carmina infinitis locis interpolata corruptaque vel a semi Christianis vel ab Alexandrinae scholae alumnis apareant, non tamen promiscue ista tamquam plane spuria debere reiici: in quibus multa satis vetustam sapiunt originem. Hic enim de coeli, siue aetheris, coelestiumque corporum diuinitate stolidus error tantae est antiquitatis, vt MOSIS tempore Aegyptios vicinasque gentes eo iam infectas fuisse in promtu sit: aperte enim diuinus vir exsecrandum eiusmodi cultum perstringit (o). Quin & diuisae totius vniuersitatis rerum in coelum & terram expressa adsunt vestigia in ipsa creati mundi historia, quam a Mose gentium erroribus oppositam esse recte dicas, quaeque vniuersa mirabilem nanciscetur lucem, si ad opiniones istarum gentium animum simul attenderis. *In principio*, inquit diuinus scriptor, *creauit Deus coelum & terram.* Quod vero coelum, aut quamnam terram? eumne rerum ordinem atque descriptionem

(n) In cratylo: conf. BRVCK. l. c. P. II. L. I. c. 1. §. 13. p. 387.

(o) Deuteronom. c. 4. v. 9.

ptionem, quam nunc in coelo & terra conspicimus? Atqui hanc verborum vim esse nemo affirmarit, nisi qui nunquam legerit historiam creationis. Terra erat confusa quaedam rerum moles: coelestium vero corporum descriptio atque productio itidem postea demum commemoratur (p): quis igitur non videat, coelum atque terram, quae prima creauit Deus, duo ista genera rerum esse, ex quibus compositam naturae vniuersitatem, stolidae gentes non iam aeternam infinitamque sed omnino diuinam credebant. Ipsum nimirum aethera, supremam istarum gentium diuinitatem, atque ipsam illi oppositam crassiorem materiam diuinus vir ad arguendam erroris istius stultitiam non subiectas modo esse vero supremoque Deo, ab eoque diuersas naturas: sed omnino productas creatasque ab eodem, testatur. Neque enim vox שמים inferiorem modo aëris regionem, siue, vt vocatur, atmosphaeram nostram indicat, sed & supremam coeli partem siue aetherem, qui non est ipse Deus: verum sedes atque solium maiestatis diuinae (q). Sed redeamus ad Pythagoreos; consueuerunt isti equidem in portentosis, quas adhibebant, numerorum appellationibus Chaus nomen ipsi etiam μονάδι, siue vnitati imponere; verumtamen, quo-

(p) Neque CARTESII neque BVRNETII aut WHISTONIS subtilitates hoc loco moramur, an & quatenus prima ista terra vocari possit confusa rerum moles? satis sit nobis, eum materiae statum indicari, quo ista nondum digesta aut his numeris descripta fuit, quibus nunc conspicitur.

(q) conf. I. Reg. c. 8. v. 30. Ies. c. 66. v. 1.

quoties istuc accidit, aut a Pythagoreis ipsis, aut ab iis, qui mentem eorum minus assecuti sunt, commutatam esse τὴν μονάδα, *vnitatem*, cum *vno*, τῷ ἑνὶ, plane mihi persuasum est. In *vnum* enim istud, siue τὸ ἓν, chaus nomen cadere, si quidem non tam de crassioris materiae colluuie, quam de vniuerso naturae ambitu quaeritur; neutiquam vero in μονάδα, ex his perspicuum esse arbitror, quae copiose & de *vno* & de *vnitate* a nobis disputata sunt. Huc vel maxime locus videtur pertinere, qui est apud HERMIAM: ἀρχὴ τῶν πάντων ἡ μονάς· ἐκ δὲ τῶν σχημάτων ἀυτῆς καὶ ἐκ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. *Omnium initium est vnitas, e cuius figuris & numeris elementa fiunt.* (r). Nihil in his verbis inest a Pythagorae ratione alienum, hoc vno obseruato, τοῦ ἑνὸς loco aut a Pythagoreo quodam, aut ab aliis (quod in tanta rerum Pythagorearum obscuritate facile potuisse accidere, quis inficiabitur?) positam esse τὴν μονάδα: vnum enim, siue τὸ ἓν, rationes & numeros non elementorum modo, sed totius naturae complectitur, quod quidem vel ex ignorantia vel ex imprudentia ad τὴν μονάδα videatur translatum esse. Quamquam & aliud quiddam his significari verbis, suspicari quis possit: fortasse enim ab ea parte Pythagoreorum profecta sunt, qui cum Hippaso reliqua elementa ex igne condensato, siue ex ipsa monade genita esse contendebant: hoc si sumamus, nihil relinqui

(r) Vid. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 446. not. 21. num. II.

qui videtur, quod in reliquam Pythagorae disciplinam difficultatis aliquid queat inferre. Verumtamen, vtut ſe res habeat, eiusmodi confuſiones rerum apud ipſos Pythagoreos occurrere, nemini mirum videri debet, quos Ariſtoteles iam obſeruauit λίαν ἁπλῶς, *ſimplici admodum ratione*, de numeris diſſeruiſſe (s). Quis igitur ab huius generis hominibus certas definitiones accuratasque partitiones rerum, caeterasue dialecticorum ſubtilitates ſemper exſpectabit? Sed, quod poſtremo loco de Pythagorea dyade obſervari velim, vt vniuerſa numerorum ratione Pythagoras elementorum rerumque ordinem atque connexionem complectebatur potius, quam internam propriamque eorum naturam; ſic & in dyade declaratio quaedam ineſſe mihi videtur, non ipſius proprie craſſioris materiae, quatenus ex aëre, aqua & terra conſtat, aut ſeparatim per ſe & ſua natura exiſtit: ſed rationis, quam habet craſſior materia ad ſubtiliorem, ſiue ignem iſtum, mundi effectorem, atque coniunctionis, quae intercedit inter ignem ſiue diuinam naturam & materiae craſſioris molem, ſubiectam effectioni ignis. Etenim, quamquam τὸ ἕν, ſeu vniuerſa iſta rerum natura in duas primum diſceſſiſſet partes, ignem nempe & reliquam materiae congeriem; neceſſario tamen & arctiſſime diuinus ignis coniunctus eſt cum iſta materia, fatique legibus adſtrictus quaſi & alligatus ad exornandam deinceps eam atque digerendam. Atque haec quidem ignis diuini ad craſſiorem materiam acceſſio, con-

(s) Metaph. L. I. c. 5.

iunctioque vtriusque ad procreandum mundum, haec inquam illa res eſt, quam Pythagoras dualitatis ſigno indicare voluit. Hactenus autem, quamquam ipſa materia a Deo ſiue diuino igne producta non eſt, binarius tamen numerus, ſeu dyas, a monade ortus recte dicitur. Vt enim, ſi artifex ad fingendum lignum aut lapidem accedit, non ipſum quidem lignum aut lapis ab artifice procreatur, binarii vero numeri cauſa, vti nunc quidem duae res, artifex & lignum ſimul ſint, ille merito habetur; ſic non ipſam produxit craſſiorem materiam monas: dualitatis vero cauſa eſt, cum ad materiam accinxit ſe fingendam. Neque haec explicatio meum ipſius commentum putandum eſt: auctorem habeo SEXTVM EMPYRIOVM,. probatum in hiſtoria philoſophica virum. Is Pythagoreorum numeros, tamquam rerum principia explicaturus: ἔνθεν, inquit, κινηθεὶς ὁ πυθαγόρας ἀρχὴν ἔφησεν εἶναι τῶν ὄντων τὴν μονάδα - - - - - ἐπισυντεθεῖσαν δ' ἑαυτῇ καθ' ἑτερότητα, ἀποτελεῖν τὴν καλουμένην ἀόριστον δυάδα. *His motus Pythagoras dixit vnitatem eſſe rerum principium - - - - - ſin autem ſibi alter adiungatur, efficere interminatum quem vocant & indefinitum binarium* (t). Obſcurior paullo eſt Herueti translatio: quod ſi ipſa graeca inſpicias, SEXTVM deprehendes de vniuerſo numerorum genere ita diſputantem, vt vnumquodque elementum, tamquam vnitatem quandam per ſe conſideret, ex quorum coniunctione atque combinatione exoriantur numeri. Quare

(t) Aduerſ. Mathem. L. X. ſ. 261.

Quare prima monas, quae ita *κατ᾽ ἐξοχὴν* vocatur, fons eſt numerorum: cum vero huic primae vnitati iungas aliam quandam vnitatem, interminatus prodit binarius. Quo & illud pertinet, quod eſt alio loco apud SEXTVM: *ἥτε μονὰς (ϛοιχεῖόν ἐϛι) καὶ ἡ κατὰ ἐπισύνθεσιν τῆς μονάδος γινομένη ἀόριϛος δυάς. Vnitas elementum eſt, & , qui per additionem vnitatis fit, binarius indefinitus* (u). In quibus Sexti verbis, iſta, quam indicauimus, binarii vis, aperte ineſt. Quamquam enim in craſſiore materia tria inſunt elementa, non ſeparata tamen iſta, ſed commiſta atque confuſa, & tamquam vnam naturam in dyadis ratione conſiderari, oppoſitam monadi, paullo ante nos Ariſtoteles Empedoclis docuit exemplo. Recte igitur hoc ſenſu DIOGENES LAERTIVS dyada a monade ortam eſſe pronuntiat; quandoquidem binarius numerus ex iſta ipſa monadis acceſſione ad fingendam deſcribendamque craſſiorem materiam effectus natusque eſt.

§. XVI.

Ex his vero intelligi iam poterit, quam vim in triade ſiue ternario numero ineſſe Pythagoras voluerit. Vt enim iſte numerus primus eſt, qui ex vnitate oriatur & binario; ſic & in generatione rerum id ſignificari ternario videatur, quod ex coniunctione diuini ignis atque materiae craſſioris primum eſt enatum: deſcriptio ſcilicet indefinitae materiae in ſuos numeros atque ra-

 tiones,

(u) Pyrhon. Hypotyp. L. III. ſ. 153.

tiones, siue separatio atque diuisio confusi istius chaus in tres definitas singularesque elementares naturas, aërem, aquam & terram. Quae quidem ratio in EMPEDOCLIS altero principio ex quo coniuncto cum diuina natura dyadem ille efficiebat, aperte intelligitur. Idem vero Empedocles modum perspicue exponit, quo Pythagorei putarunt digestionem istam crassioris materiae, siue productionem triados ex dyade accidisse: ἐξ ἧς (τῆς γῆς) ἄγαν περισφιγγομένης, τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς, ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ, ἐξ οὗ θυμιαθῆναι τον ἀέρα. *Ex qua* (terra nimirum, quam ab Empedocle tamquam dyada monadi oppositam fuisse antea vidimus) ***vehementer compressa, impetu circumagitationis ebullire aquam: ex hac vero exhalare aërem*** (w). Clarius etiam HIPPASVS: qui quamuis in eo discedat a Pythagora, quod crassiorem materiam ex ipsa monade siue igne condensato natam esse statuit; postea tamen generationem triados praeclare edisserit, monadis etiam effectione in hoc opere diserte indicata: ἔπειτα ἀναχαλωμένην τὴν γῆν, ὑπὸ τοῦ πυρὸς φύσει, ὕδωρ ἀποτελεῖσθαι. ἀναθυμιώμενον δὲ ἀέρα γίνεσθαι. *Cum laxata sit terra* (quam Hippasus itidem tamquam dyada siue crassiorem materiam addebat monadi) VI IGNIS, *aquam perfici, quae cum in humores abeat, nasci aërem* (x). Nec obscure Pythagoras ipse superficiei similitudine signi-

(w) PLVTARCH. l. c. L. II. C. 6.
(x) PLVTARCH. l. c. L. I. 3.

ſignificat, hanc ternario vim ab ipſo eſſe ſubiectam. Monada enim cum puncto comparat: cum linea dualitatem: prima autem res ratione finita atque deſcripta, quae per lineam poſſit effici, ipſa eſt ſuperficies, ex qua omnes conſtant figurae atque ipſa etiam corpora efficiuntur (y). Quare in ternario quidem, quando de mundi vniuerſi ortu diſſerit Pythagoras, primam iſtam materiae digeſtionem intelligat neceſſe eſt, quam monas effecit, & ex qua poſtmodum tota rerum antecedentium atque conſequentium ſeries pendeat, quantum ad adſpectabilem corporeumque mundum attinet. Simili propemodum modo ECPHANTVS triada iſtam in differentiis elementorum, ſeu potius minimorum corpuſculorum quaeſiſſe videatur, quas ille triplices ſtatuiſſe PSEVDO-ORIGENES refert: ὁρίζει δὲ (ἔκφαντος), inquiens, τὰ μὲν πρῶτα ἀδιαίρετα εἶναι σώματα, καὶ παραλλαγὰς αὐτῶν τρεῖς ὑπάρχειν, μέγεθος, σχῆμα, δύναμιν, ἐξ ὧν τὰ αἰσθητὰ γίνεσθαι. *Definit autem Ecphantus, prima corpora eſſe indiuidua, & tres eorum differentias exiſtere: magnitudinem, formam & potentiam: oriri ex his, quae ſenſibus obuia* (z). De materia, quatenus generatur ex ea adſpectabilis mundus, loqui Ecphantum, ipſe docet oculorum adſpectus: huic vero diuinam potentiam, quae materiam craſſiorem mouet & animat, atque ſecundum tres

iſtas

(y) SEXT. EMPYR. Pyrhon. Hyp. L. III. ſ. 154.
(z) c. 15. p. 102.

iſtas differentias ex ea procreat mundum, ipſe ſtatim Ecphantus opponit: κινεῖσθαι δὲ τὰ σώματα μήτε ὑπὸ βάρους, μήτε πληγῆς, ἀλλ' ὑπὸ θείας δυνάμεως, ἣν νοῦν καὶ ψυχὴν προσαγορεύει. *Corpora non grauitate, nec impulſu, ſed diuina, quam mentem vocat & animam, moueri potentia* (a). Ex eadem igitur parte conſiderabat Ecphantus materiam, cum de tribus corporum minimorum differentiis differebat, ex qua Pythagoras, de dyade diſputans: atque vt Pythagoras monadis ope craſſiorem iſtam materiam in tres diuiſam eſſe elementares naturas volebat; ſic Ecphantus in eadem illa tres agnoſcebat differentias. Ex quibus probabile fit, vt tribus iſtis differentiis ipſam Pythagorae triada deſignare voluiſſe Ecphantus dicatur. Ex his iisdem cauſis factum eſt, vt ternarium numerum *virilem* dicerent Pythagorei: iſta nimirum materiae craſſioris deſcriptio & formatio fons eſt atque generatio illius ornatus, quem in mundo oculis conſpicimus. Nec cognomina, quae a Pythagoreis ternario numero dicuntur impoſita eſſe, huic noſtrae repugnant explicationi. Eſt enim iſte numerus is, quo potentia monadis ad actionem & extenſionem deducitur (b), hoc eſt, vt nos opinamur, primus effectus, qui ex coniunctione monadis cum indigeſta rudique materia eſt exortus: quod ſane aliud quidquam eſſe haud temere poteſt, quam ſeparatio atque diiunctio diſſimilium diſpariumque partium, quae in

(a) PSEVDO - ORIGEN. l. c. p. 103.

in vniuerſa materiae mole continebantur, vt tria inde elementa prodirent, fontes futuri corporei mundi. Quo iam Pythagoras ſenſu mundum a Deo productum eſſe dixerit (c), in promtu eſt. Diuinus enim ignis, coniunctus cum craſſiori materia digeſſit atque deſcripſit hanc virtute ſua, eumque verum ordinem conſtituit, quem aeternae ferebant leges neceſſitatis. Obſcurus hoc loco eſt DIOGENES LAERTIVS, vt qui ex vnitate & dualitate numeros quidem gigni commemorat; poſtea *tamen ex numeris demum dicit effici puncta, ex his autem lineas, ex quibus planae figurae conſtent. Ex planis autem ſolidas figuras, ex quibus item ſolida conſiſtere corpora*, quorum quatuor ſint elementa (d). Quae tamen dicta faciles habent explicatus, ſi eam recordemur vim, quam in toto numerorum genere ineſſe ſupra demonſtratum eſt. Etenim non tam ipſa elementa, ſiue interna eorum natura, quam rationes atque leges in numeris inſunt, quibus connexa coniunctaque pariter, atque deſcripta etiam poſtea digeſtaque ſunt elementa, vt inde mundi concentus oriretur. Quare numeri mente concipiuntur, quaſi adfuerint prius in vniuerſitate rerum, quam ipſa elementa deſcripta ſint, vt quibus conuenienter iſta deſcriptio poſtea ſit inſtituta. Ita certe totam rem expedit SEXTVS EMPYRICVS: qui, cum eodem, quo Diogenes, modo de numeris diſputaſſet, addit: πλὴν

(c) PLVTARCH. de Plac. phil. L. II. c. 4.
(d) L. VIII. ſ. 25.

πλὴν ὅτω μὲν ἀποτελεῖται τὰ στερεὰ σώματα, ἡγουμένων τῶν ἀριθμῶν· ἀφ' ὧν λοιπὸν καὶ τὰ στερεὰ συνίσταται, γῆ δὲ καὶ ὕδωρ, καὶ ἀὴρ καὶ πῦρ· καὶ καθόλου ὁ κόσμος, ὃν φασιν καθ' ἁρμονίαν διοικεῖσθαι, πάλιν ἐχόμενοι τῶν ἀριθμῶν, ἐν οἷς οἱ λόγοι εἰσὶ τῶν συστατικῶν τῆς τελείου ἁρμονίας συμφωνιῶν. *Sic quidem ſolida efficiuntur corpora*, PRAEEVNTIBVS NVMERIS: *ex quibus de caetero quoque ſolida conſiſtunt corpora, nempe terra, aqua, aër & ignis: &, vt ſemel dicam, mundus, quem dicunt adminiſtrari per concentum & harmoniam, rurſus inhaerentes numeris*, IN QVIBVS SVNT RATIONES, QVAE PERFECTAM CONSTITVVNT HARMONIAM (e). Quae quidem cuncta egregie faciunt ad ea illuſtranda comprobandaque, quae de numerorum vi in Pythagorae diſciplina fuſe diſputauimus. Quin & illud perſpicue confirmat SEXTVS, quod de ſecta quadam Pythagoreorum, relinquentium ex parte magiſtri auctoritatem, nec ex duplici, vt iſte, principio, ſed ex vna monade ſeu diuino igne generationem rerum deducentium, diximus: τινὲς δ' ἀπὸ ἑνὸς σημείου τὸ σῶμά φασι συνίστασθαι --------- διαφέρει δὲ ἡ τοιαύτη τῶν πυθαγορικῶν στάσις τῆς τῶν προτέρων· ἐκεῖνοι μὲν γὰρ ἐκ δυεῖν ἀρχῶν, τῆς τε μονάδος καὶ τῆς ἀορίστου δυάδος ἐποίουν τοὺς ἀριθμοὺς - - - - - - οὗτοι δὲ ἀπὸ ἑνὸς σημείου τὰ πάντα τεκταίνουσιν. *Nonnulli autem dicunt ex vno puncto con-*

(e) Aduerſ. Mathem. L. X. ſ. 283. conf. Pyrhon. hypoth. L. III. ſ. 154.

constare corpus - - - - - - Differt autem haec secta Pythagoricorum ab opinione priorum (Pythagorae nimirum ipsius, quod antea monstrarat Sextus). *Illi enim* (priores) EX DVOBVS PRINCIPIIS, *nempe vnitate & interminato binario efficiebant numeros: - - - - - - - hi autem ex vno puncto fabricantur omnia* (f). In hoc scilicet Hippasus, & qui eum sequebantur, distare videntur a genuinis Pythagoreis.

§. XVII.

Omnium vero nobilissimus apud Pythagoreos numerus TETRACTYS est, siue quaternio: de quo quidem tot tamque diuersae eruditorum exstant coniecturae atque explicationes, vt res per se obscura magis obscurata videatur esse, quam expedita & declarata. Quamquam igitur eum me esse non puto, qui cunctis istis, ab Illustr. MOSHEMIO propositis hoc loco difficultatibus enodandis par sim (g): neque etiam in exquirendis criticis, quae se nobis hic offerunt, quaestionibus nimium laboris velim consumere; quod ad totum tamen veteris philosophiae genus attinet, nec iniucunda mihi, nec inutilis omnino opera videtur esse, si quas probabili quadam ratione priscis philosophis sententias possimus tribuere, inuestigare conemur. Periculum igitur faciamus, non minutissimas qui-

(f) Aduers. Mathem. L. cit. s. 281. seq.
(g) ad CVDW. p. 451. seqq.

quidem perrependi criticorum ſpinas: ſed quam poteſt veriſimillime exponendi, quae quaternionis ratio atque vis in vniuerſam Pythagorae diſciplinam reliquasque iſtas leges, quas de exquirenda Pythagoreorum philoſophia ipſi ſupra nobis praeſcripſimus, maxime conuenire videatur. Hoc enim vel primo loco tenendum eſſe arbitror, ne, auulſas quaſi a reliquo corpore partes ſeparatasque intuendo, eam Pythagorae decretis tribuamus vim, quae nec cum reliqua eius ratione conciliari poſſit, nec aliud habeat fundamentum, praeterquam noſtri ipſius animi fictiones. Quid perpetuitas diſciplinae, quid conſtantia requirat: quidque Pythagoram dixisſe aut ſenſiſſe, per caeteras, quas probabili quadam, vt opinor, ratione exquiſiuimus, doctrinas, deceat; hoc vero eſt, quod in tantis tenebris facis inſtar nobis praelucere debet. Quae quidem ipſa res neglecta magnam earum interpretationum partem peperit tam alienarum tamque repugnantium vehementer, vti vniuerſa numerorum, quaternionis inprimis, inueſtigatio non difficilis modo, ſed fruſtra plane ſuſcepta videatur. In horum numero vel maxime ii ſunt referendi, qui in Pythagorae quaternione ſanctisſimum illud Dei nomen, יהוה, inueniſſe ſibi viſi ſunt (h). Eruditiſſimos iſtos viros leui quadam

(h) Ioh. SELDENVS de dis ſyr. ſyntagm. 2. C. I. p. m. 209. CVDWORTH. ſyſt intell. p. 449. Alios eadem opinione occupatos videſis apud IAC. THOMASIVM de exuſt. mund. St. diſſert. 21, p. 250. BAYL. voc. Pyth. not. H.

dam animi persuasione ductos esse, quasi magnam suae disciplinae partem Iudaeis Pythagoras deberet, facile intelligitur: quo facto nec ad numerorum vniuersam rationem attenderunt; neque illud considerarunt, quid tota Pythagorae postulet disciplina. Vt si separatum quoddam esset decretum, quod nihil habeat cum reliquis commune, sic disputarunt de tetracty extra continuationem atque seriem orationis: mutant, vt lubet, quidquid obstare videtur: legunt in notissimo illo Pythagoreorum iureiurando, contra omnem codicum fidem, τὴν loco τὸν: comminiscuntur, nescio quem, soloecismum grammaticum. Hoc si valeat; aut si quidquam incertum vel prorsus eiusmodi habere velimus, quod inuestigari nequeat propterea, quod huius generis illud sollicitatum sit interpretationibus; omnino quiduis ex quouis exsculpere licebit: nec in Pythagorae modo quaternione, sed ne in toto quidem scientiarum genere certi quid habebimus aut explorati. Videamus igitur, quid Pythagorae reliqua ratio patiatur? quid ipsum conueniat dixisse, qui ea docuit, quae adhuc disputauimus? quid discipuli denique eius hac de re memoriae prodiderunt? Quod si aliquid in-

O veniа-

veniamus, quod ſingulis hisce locis ſatisfaciat; vanus equidem forem, ſi euidentiam quandam aut perſpicuitatem rei inde pollicerer: non minori tamen probabilitate eiusmodi explicationem gauiſuram puto, quam pleraque veteris philoſophicae hiſtoriae momenta. Platonis atque Ariſtotelis etiamnum ſuperſunt monumenta, complura certe: ipſas poſſumus eorum inſpicere & exquirere diſputationes; num igitur, quaeſo, in plerisque rebus certior aut expeditior horum hominum ratio eſt? Quid poſſumus tandem infinitis locis aliud facere, niſi vt comparando inter ſe paullo euidentiora illorum dicta, conſulendoque & magiſtrorum, quibus vſi ſunt, decreta, & diſcipulorum commentationes, eliciamus aliquid, quod in totius diſciplinae conſtantiam maxime cadere videatur? Agedum, tractemus & excutiamus ſimili modo & Pythagorae quaternionem, perſequamurque eam, qua adhuc inceſſimus, viam. Numeri Pythagorae continent totam ſeriem antecedentium conſequentiumque rerum, ordinem cauſarum & euentuum, omnesque rationes atque leges generali ex elementis rerum mundi: indicant naturae conſtantiam rationemque fati, ſecundum quam a divino

vino igne ita effectus est mundus, vt pulcerrimus inde concentus excellentissimaque harmonia oriretur: MONAS, seu diuinus ignis primus se expediuit ex vniuersarum complexu rerum, eademque coniuncta cum reliqua adhuc indigesta materia constituit dyadem, siue binarium numerum: TRIAS est descriptio crassioris materiae in definita quaedam distinctaque elementa, quae sunt fontes atque fundamenta adspectabilis corporeique mundi. Atqui TETRAS complectitur vim atque initium denarii numeri, & quidquid inest in denario numero, id omne originem principiumque capit a quaternione. Audi PLVTARCHVM testem: *εἶναι δὲ τὴν φύσιν τοῦ ἀριθμοῦ δεκάδα, μέχρι γὰρ τῶν δέκα πάντες Ἕλληνες πάντες βάρβαροι ἀριθμοῦσιν - - - - καὶ τῶν δέκα πάλιν φησὶν ἡ δύναμίς ἐστιν ἐν τοῖς τέσσαρσι καὶ τῇ τετράδι. τὸ δὲ αἴτιον, εἴτις ἀπὸ τῆς μονάδος ἀναποδῶν κατὰ πρόσθεσιν τιθείη τοὺς ἀριθμοὺς, ἄχρι τῶν τεσσάρων προελθὼν ἐκπληρώσει τὸν δέκα ἀριθμὸν - - - - οἷον εἴ τις θείη ἕν, καὶ δύο προσθείη, καὶ τρία, καὶ τούτοις τέσσαρα, τὸν τῶν δέκα πληρώσει ἀριθμὸν, ὥστε ὁ ἀριθμὸς κατὰ μὲν μονάδα ἐν τοῖς δέκα, κάτα δε δύναμιν ἐν τοῖς τέσσαρσι.* *Esse autem naturam numeri* (totius) *denarium* (dicit Pythagoras): *vsque enim*

ad decem omnes Graeci omnesque barbari numerant ----- denarii vero rursus inquit vim inesse in quaternione & in tenario: huius autem rei causam esse, quod, si quis a monade incipiens, addendo iungat numeros, cum venerit vsque ad quatuor, completum habebit denarium numerum --- --- scilicet, si quis ponat vnum, addatque duo, item tria, insuperque quatuor; efficiet decem, contineri igitur numerum (vniuersum), *si sigillatim eos sumas, in denario: vim vero eius atque virtutem inesse in quaternione* (i). Simili modo & ORIGENIS PHILOSOPH. ἀφ᾽ ὧν (ἀπὸ τῆς μονάδος, τῆς δυάδος, τῆς τριάδος, καὶ τῆς τετράδος) ὁ τέλειος αὐτοῖς συνέστηκεν ἀριθμὸς ἡ δεκάς. τὸ γὰρ ἓν, δύο, τρία, τέσσαρα γίνεται δέκα, ἐὰν ἑκάστῳ τῶν ἀριθμῶν φυλάσσεται κατ᾽ οὐσίαν τὸ οἰκεῖον ὄνομα. ταύτην ὁ πυθαγόρας ἔφη ἱερὰν τετρακτὺν, πηγὴν ἀενάου φύσεως, ὡς ῥιζώματα ἔχουσαν ἐν ἑαυτῇ· καὶ ἐκ τούτου τοῦ ἀριθμοῦ πάντας ἔχειν τοὺς ἀριθμοὺς τὴν ἀρχήν. *coaluit ex his* (vnitate, binario, ternario & quaternione) *denarius perfectus numerus. Vnum namque, duo, tria, quatuor, modo ratione substantiae & proprietatis domesticam vnicuique numerorum ser-*

(i) de Plac. Phil. L. I. c. 3.

seruaueris appellationem, conficiunt decem. Hic ille, quem sacrum Pythagoras nominauit quaternionem, perennis naturae fontem, ipsas vtpote in se radices continentem, & ex hoc numero numeros omnes principium adeptos (k). Quid igitur tandem est, quod in denario numero inesse Pythagoras voluit? Vniuersum mundi ornatum, totiusque naturae descriptionem, quae coelum & terram, deos corporaque complectitur, denario indicasse Pythagoram, tam certum esse arbitror, quam quod in Pythagorae disciplina certissimum. Neque haec quidem res longa disputatione eget: inter omnes enim vetustiores pariter, atque iuniores interpretes conuenit, in decem orbes vniuersam rerum naturam a Pythagora descriptam esse, quibus & coelum & terra, atque quidquid modo in rerum natura esse possit, contineatur (l). Atque hanc ipsam ob caussam, quo denarius numerus, tamquam perfectissimus, perficeretur, Pythagoram antichthonem istam excogitasse, ARISTOTELES auctor est (m). Qualis iam sit ista antichthon: num

(k) c. 2. p. 33.

(l) vid. BRVCK. l. c. §. 21. p. 1061. seq.

(m) Mataph. L. I. c. 5.

luna, an vero coeli quaedam pars noſtris oculis plane imperuia? noſtra nihil intereſt; ſatis eſt ad rem propoſitam, denario numero vniuerſum mundi ambitum Pythagoram complexum eſſe. Neque aliter decadis naturam explicat PSEVDO-ORIGENES: ἐκ τȣτȣ τȣ̃ ἀριθμȣ̃ (τῆς δεκάδος) πάντας ἔχειν τȣ̀ς ἀριθμȣ̀ς τὴν ἀρχήν. Ὁ γὰρ ἕνδεκα, ϗ ὁ δώδεκα, ϗ οἱ λοιποὶ τὴν ἀρχὴν τȣ̃ εἶναι ἐκ τȣ̃ δέκα μετέχȣσιν. *Ex hoc numero* (decade) *numeros omnes principium adeptos: etenim vndecim, duodecim & caeteri conſequuntur e denario eſſentiae ſuae principium* (n). Ea nimirum in denario ineſt naturae diſpoſitio atque ordo partium is, per quem reliquae conſequentium rerum cauſae exiſtunt, atque euenta totius mundi definita ſunt & determinata. Haec cum ita ſint, ſequitur illud, vt Pythagorea tetractys ſit iſte complexus naturarum, atque iſta cauſarum ſeries, vnde non terrena modo corpora, ſed & cuncta, quae in coelo ſunt, quorum totus ambitus decade ſignificatur, initium ſuum habeant, atque tamquam ex fonte effluxerint. Atqui ea, quae in terris ſunt corpora, tribus craſſioris materiae elementis maxime conſtant, per

(n) c. 2. p. 34.

per quae diuinus ignis permeando penetrandoque, finxit & efformauit adſpectabilem mundum: ipſe autem diuinus ignis, ſeu immortalis diuina natura in coeleſtibus orbibus maxime reſidet, atque ipſa coeleſtia corpora ob hanc diuinae naturae participationem, praecipui Pythagorae dii ſunt, quae quidem cuncta late in ſuperioribus paragraphis perſecuti ſumus (o); quare quantum his fidei habendum eſſe exiſtimas, tanta & illud probabilitate gaudere fatearis neceſſe eſt, quod iam primo loco de tetracty dicturus ſum, verſari nimirum in ea quatuor illa naturae elementa, ex quibus vniuerſum mundi ornatum effectum eſſe Pythagorei volebant: quod ipſum vir Illuſtr. IOH. LAVR. A MOSHEIM, quamquam aliis ductus rationibus, acutiſſime concluſit (p). Deinde vero addendum arbitror, quod de toto numerorum genere praecepimus, in tetracty non tam ipſa quatuor elementa internamve eorum naturam in cenſum venire, quam quatenus inexplicabilibus iſta fati vinculis coniun-

(o) conf. ANON. PHOTII apud BRVCK. l. c. §. 24. num. 13. ſeq. p. 1084.

(p) ad CVDWORTH. p. 453. conf. cl. Schier. not. ad aur. carm. p. 65. ſeqq.

cta inuicem copulataque sunt ad gignendum procreandumque vniuersum mundi concentum atque harmoniam. Haec illorum coniunctio atque societas tetractys est, in qua radices quasi atque initia descripta iam & distincta adsunt totius naturae omniumque mundi orbium, producendorum ordine atque lege numerorum. Hinc est, quod ipsa iam tetractys κόσμος, *mundus*, a Pythagoreis vocatur (q): ipseque denarius in PSEVDO - ORIGENIS loco, quem modo protulimus, sacrae tetractyos nomen adeptus est. De denario enim locutus iste auctor addit: ταύτην (τὴν δεκάδα) ὁ πυθαγόρας ἔφη ἱερὰν τετρακτύν. *Hic ille* (denarius), *quem sacrum Pythagoras nominauit quaternionem* (r). Quo eodem modo & SEXTVS EMPYRICVS videtur ipsum denarium tetractyn vocare: τετρακτὺς δὲ προσηγορεύετο παρ' αὐτοῖς, ὁ ἐκ τῶν πρώτων ἀριθμῶν συγκείμενος τέσσαρα ἀριθμός. ἐν γὰρ καὶ δύο καὶ τρία καὶ τέσσαρα, δέκα γίνεται. ὅς ἐστι τελειότατος ἀριθμός - - - .. πηγὴν τ' ἀεννάου φύσεως ῥίζωματ' ἔχουσαν εἰρήκασιν αὐτὸν, διὰ τὸ

(q) PLVTARCH. de Isid. & Osir. T. I. oper. p. m. 352.

(r) c. 2. p. 33.

τὸ κατ' αὐτὰς ἐν αὐτῷ τὸν λόγον τῆς ἁπάντων κεῖσθαι συστάσεως. Quaternio autem ab eis appellabatur, numerus compositus ex quatuor primis numeris. Vnum enim & duo & tria & quatuor fiunt decem, qui est numerus perfectissimus ----- dicuntque eum habere fontem & radicem naturae aeternae, propterea quod ex eorum sententia IN EO SITA SIT RATIO VNIVERSORVM CONSTITVTIONIS (s). Scilicet, denarius est explicatio quasi & euolutio quaternionis; cum diuinus ignis siue aether partim describendo crassiorem materiam, id est, tria reliqua elementa, partim multiplicando euoluendoque ipse se decem genuit atque constituit orbes, quibus continetur mundi harmonia, vnde reliqua tota vniversitatis administratio euentaque naturae exoriuntur eodem modo, quo omnes reliqui numeri a denario proficiscuntur. Totus igitur mundus, qui animatus intelligentiaque praeditus est, omnesque decem mundi orbes in tetracty insunt, siue in ista quatuor elementorum coniunctione, qua diuinum ignem cum reliquis elementis copulatum, genuisse hunc naturae ordinem, Pythagoras censuit; qui nunc adest. Neque iam vi-

 deo,

(s) Aduers. Mathem. L. IV. C. 3.

deo, quid melius aptiusue in vniuersam Pythagorae rationem, reliquaque eius, quae quidem nos accepimus, placita, conuenire possit, quam haec tetractyos vis atque explicatio. Monas enim, siue subtilissimus ignis, cum prima ex VNO, ἐκ τȣ̃ ἑνὸς, exisset, coniunctaque tamen cum reliqua materia constituisset dyadem; digessit primo loco rudem materiam, tribus crassioribus elementis separatis, quae possint terrestribus corporibus ortum dare. Rursus vero eadem monas, quae penetrat sese permeatque, tamquam mundi animus, per vniuersam materiam, quatenus istius coniunctionis connexionisque ratio habetur, tetractyn efficit, quae quadruplex natura diffundendo & expandendo multiplicandoque quasi se decem ex se genuit circulos, siue denarium numerum, in quo vniuersi mundi compages atque compositio versatur, vnde euenta naturae, quae sunt, quae fuerunt, quaeque futura sunt, certa, definita constitutaque sunt: quod quid, quaeso, aliud est, nisi ipsa ista Pythagorae ratio, quam ab eo, detractis numerorum signis, probatam fuisse, prisci scriptores fide digni ad vnum testantur omnes?

§. XVIII.

§. XVIII.

Iam vero de notiſſimo illo Pythagoreorum iureiurando videamus, ſi quid, quod probabilitatis ſpeciem habeat, in explicando eo poſſimus inuenire. Ita vero iſtud apud SEXTVM EMPYRICVM (t), PLVTARCHVM (u), aliosque fere legitur (w):

ὀ μὰ (ſiue etiam ναὶ μὰ) τὸν ἁμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν,

πηγὴν) ſiue παγὰν, dorice) ἀενάȣ Φύσεως, ἕιζωματ'

(ita Sextus; ſed Plutarchus ῥιζώματ') ἔχȣσαν.

Non per eum, a quo animae datus ille quaternio noſtrae,

naturae aeternae, a quo fons radixque profecta eſt.

Horum verſiculorum, quo nobis expeditior ſit explicatio, primo loco obſeruetur velim, verba, ἀενάȣ Φύσεως, in regimine conſtruenda videri

(t) l. c. ſ. 2.
(u) de Plac. phil. L. I. c. 3.
(w) conf. IOH. ALB. FABRICIVS ad SEXTVM, l. c.

videri cum voce, πηγὴν: non vero cum ῥίζωμα: ita enim aurea carmina, quamquam posterioris versiculi vltima pars, verba nimirum: ῥίζωματ' ἔχουσαν, non adsunt, legunt tamen παγὰν ἀενάου φύσεως: ita & ORIGENIS philosoph. τετρακτὺν πηγὴν ἀενάου φύσεως. Deinde vero vel maxime nobis dispiciendum est, cum quonam subiecto coniungendae sint istae voces, πηγὴν ἀενάου φύσεως? cum illone, qui animae nostrae tetractyn dedit, vt haec sententia in istis verbis insit; *non per eum, qui animae nostrae* tetractyn *dedit*, QVIQVE *est fons aeternae naturae*: an cum ipsa tetracty, vt haec vis subiiciatur istis versiculis: *non per eum, qui animae nostrae dedit tetractyn*, QVAE *est fons aeternae naturae?* Vtrumque enim per Grammaticorum leges licere fatendum est. Sed de hac quaestione quid statuendum sit, obscurum esse non potest, si quidem eorum rationem habere velimus, quae paragrapho superiori de quaternione disputata sunt. Ipse enim iste quaternio fons est aeternae naturae, atque ad quadruplicem istam coniunctamque quatuor elementorum rationem vniuersa rerum natura, omnesque mundi orbes ac tota causarum euentuumque series, tamquam ad initium

tium fontemque referuntur. Eandem construendarum vocum rationem interpunctio ostendit, quae est apud PLVTARCHVM: eandem verborum sententiam sequitur SEXTVS EMPYRICVS: eandem denique PSEVDO-ORIGENIS philosophumena: nec veterum temere quisquam reperietur, cui alia horum versiculorum compositio in mentem venerit. Quare quid sit, quod difficultates hoc loco mouere velimus, vix video. Neque enim ad sollicitandam sententiae perspicuitatem satis illud puto valere, quod verba per se & auulsa a reliquo disciplinae corpore secundum grammaticas leges varias diuersasque admittant explicationes. Eadem vero de causa magis mihi quidem probatur PLVTARCHI atque PSEVDO-ORIGENIS scriptura, qua in posteriori versiculo *ῥιζώματα*, pluralitatis numero, legitur, quam SEXTI EMPYRICI, qui, *ῥίζωματ'* singulariter pronuntiando, particulam enclyticam *τε* interponit. Totam enim tetractyos naturam ita explicari perspicuum est, vt propterea fons sit aeternae naturae, quod coniunctionem quatuor elementorum complectatur, quae a Pythagoreis, Empedocle inprimis, *ῥιζώματα*

vocata

vocata esse, inter omnes constat (x). Nunc vero in priori versiculo, siue ἁμετέρᾳ γενεᾷ legas, loco ἁμετέρα ψυχᾷ, siue ἁμετέρας σοφίας, siue quidlibet aliud (vario enim modo scriptum inuenitur istud comma); ad rem ipsam parum interesse puto. Neque illud quidquam nostra refert, Pythagorasne significetur per τὸν παραδόντα; an vero ipse Deus? *docuit*, transferendum sit τὸ παραδιδόναι; an communicauit? De vi atque natura ipsius tetractyos quaeritur: quae, quo tandem cunque modo istae decidantur quaestiones, hoc Pythagoreorum iureiurando aperte declaratur.

Habes meas de Pythagorae numeris coniecturas; quae siue probentur tibi, siue displiceant; ea tamen mysteria, quae nonnulli in his numeris quasiuerunt, non inesse, plane mihi persuasum est. Disciplinam duntaxat, quam Pythagoras ab Aegyptiis acceperat, atque magis etiam vulgares fortasse res, quam quisquam adhuc suspicatus est, his velis eum texisse credo: vel quod omnino numerorum rationem in rerum natura sibi invenire visus est: vel vt impostorum more his verborum

(x) Plutarch. l. c.

borum portentis quam maximam posset sibi apud imperitos constitueret auctoritatem. Neque tamen infinitam illam appellationum farraginem, quibus singulos numeros Pythagorei feruntur indicasse, ab ipso Pythagora aut a prioribus eius discipulis profectam esse, vt credam, temere inducor, quos de numerorum ratione λίαν ἁπλῶς esse philosophatos supra ex Aristotele didicimus. Insanum istud stolidumque, omnia sapientiae arcana in Pythagorae numeris quaerendi, studium videtur fecisse, vt iuniores maxime Pythagorei nunc ad physiologiam numeros, nunc ad theologiam, nunc ad morum doctrinam, nunc ad nescio quid? transferentes, omnia miscerent, & conturbarent, atque verborum excogitarent miracula, quae vix sensum fundere, aut vnquam inter se posse conciliari videantur. Quocirca his spinosis subtilitatibus enodandis insudare ego quidem nolim.

§. XIX.

Reliquum est, vt de natura animae humanae anquiramus, quae fuerit Pythagorae sententia: qui locus in vniuersa Graecorum philosophia cum ista de diis disputatione summam cognationem habet.

bet. In duas vero animam noſtram a Pythagora tributam eſſe partes, nobiliorem & ignobiliorem, quarum poſterior rurſus bipartito diuideretur, conſtanter veteres tradunt. Satis habeamus in re minime dubia vnius PLVTARCHI teſtimonium protuliſſe: πυθαγόρας, πλάτων ----- διμερῆ τὴν ψυχήν· τὸ μὲν γὰρ ἔχει λογικὸν, τὸ δὲ ἄλογον. κατὰ δὲ τὸ προσεχὲς καὶ ἀκριβὲς, τριμερῆ· τὸ γὰρ ἄλογον διαιρῦσιν εἴς τε τὸ θυμικὸν καὶ τὸ ἐπιθυμητικόν. *Pythagoras & Plato in duas tributam eſſe animam partes dicunt, quarum altera ſit rationis particeps, altera expers. Sed ſi accurate rem conſideres, tres conſtituunt partes: eam enim partem in qua ratio non ineſt bifariam diuidunt, in iracundiam ſcilicet & cupiditatem* (y). Quare & DIOGENES tres ex ſententia Pythagorae tribuit animae partes, φρένας, *mentem*, quae ſoli homini propria ſit, duasque alias, νῦν καὶ θυμὸν, *ſenſum & animum*, quorum & reliquae animantes ſint participes (z). Facile enim intelligitur, τὸ φρένας illam eſſe partem, quam Plutarchus τὸ λογικὸν vocauerat: νῦν vero & θυμὸν ineſſe ἐν τῷ ἀλόγῳ, in ea parte, quae ratione caret. Quam omnem cauſam ex Pythagorae pariter

(y) de Pl. phil. L. 4. c. 4.
(z) l. c. ſ. 30.

ter ac Platonis sententia eleganter ita explicat CICERO: *Est animus in partes tributus duas, quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur praecipitur, vt nobismet ipsis imperemus, hoc praecipitur, vt ratio coerceat temeritatem* (a). Vnde vero sumtae sint duae istae animi humani partes, DIOGENES LAERTIVS nos condocet: εἶναι δὲ τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος, καὶ τοῦ θερμοῦ, καὶ τοῦ ψυχροῦ, τῷ συμμετέχειν ψυχροῦ αἰθέρος. *Animam auulsionem aetheris esse & calidi & frigidi, eo quod sit particeps frigidi aetheris* (b). Quae verba nobis totam psychogoniae Pythagoreae rationem declarant. Propterea enim, quod anima nostra decerpta est & delibata ex calido aethere, diuinae naturae ea particeps est & pars ipsius diuinitatis: quod quidem aperte idem DIOGENES: ἀνθρώπων εἶναι πρὸς θεοὺς συγγένειαν, κατὰ τὸ μετέχειν ἄνθρωπον θερμοῦ. *Hominibus esse cum diis cognationem, quod homo caloris particeps est* (c). Qua de re ita CICERO: *Pythagoras censuit, animum esse per naturam rerum omnem intentum & commeantem, ex quo nostri animi*

(a) Tusc. QQ. L. II. c. 21.
(b) l. c. s. 28.
(c) l. c. s. 27.

animi carperentur (d). Idem alio loco: ***Audiebam Pythagoram Pythagoreosque nunquam dubitasse, quin ex vniuersa mente diuina delibatas animas haberemus*** (e). Diuinus enim ignis, qui est causa efficiens mundum, per totam penetrat sese reliquam materiam eamque animat: diuisusque in partes quasdam per se & priuatim existentes, deorum inferiorum animorumque hominum fons & initium est. Quocirca & ratio prudentiaque in hac aetherea animae parte residet, animusque immortalis est, quia pars est immortalis diuinae naturae, DIOGENE teste: ἀθάνατον δὲ εἶναι αὐτὴν (ψυχὴν) ἐπειδήπερ καὶ τὸ ἀφ' οὗ ἀπέσπασται ἀθάνατόν ἐστι. ***Esse animam immortalem, quandoquidem & id, a quo auulsa est, immortale sit*** (f). Altera autem pars, rationis expers, in qua versatur temeritas, quaeque bruto motu visis opinionibusque impellitur, ex frigido aethere est, siue ex aëre, quem aethera frigidum vocarunt Pythagorei (g). Haec igitur ignobilior animae pars ad crassiorem materiam originem suam refert: est enim aër pars crassio-

(d) de N. D. L. I. c. 11.
(e) de Senect. c. 21.
(f) l. c. §. 28. conf. PLVTARCH. de Pl. phil. L. 4. c. 7.
(g) DIOG. LAERT. l. c. §. 27.

craſſioris materiae ſiue τῦ χάυς, quatenus iſtud diuino igni ſeu aetheri calido opponitur: hinc & eadem mortalis eſt (h); cum craſſior materia ſemper fluat, nec eadem maneat: anima vero rediens ad diuinam naturam ſedemque immortalitatis relinquat graue iſtud materiae onus. Ex his efficitur, quod ſupra iam monuimus, vt eadem videatur Pythagorae ſententia fuiſſe, de craſſiori materia, quae Platonis: impelli nimirum eam ſuo proprioque motu, quamquam bruto & amenti, verſarique in ea *φανταστικόν τι καὶ δοξαστικόν*. Praecipuum itaque praeſtantioris partis munus eſt, vt imperet amenti partis inferioris agitationi, ſeu, quae Ciceronis verba ſunt, *vt ratio coërceat temeritatem*. Quamuis autem in definienda hac altera animae parte vnum aëra commemoret DIOGENES, vnde ea orta ſit; poſſit tamen quisquam ſuſpicari, reliquis etiam elementis Pythagoram nonnullas in conſtituenda animae natura partes dediſſe, idque ex PSEVDO-ORIGENIS quodam loco, qui: διὸ, inquit, καὶ τούτων (de terra, aqua, aëre & igne diſputauerat auctor) οὐδὲν ἀναιρεῖν οὐδὲ μιαίνειν φασὶ τὴν ψυχήν· ἔστι γὰρ ταῦτα οὐσία τῶν πάντων. *Cenſent propterea* (Pythagorei) *nullam perniciem vel labem animae ex his* (terra, aqua, aëre ac igne) *accidere poſſe, cum illa ſint omnium* rerum

(h) DIOG. LAERT. l. c ſ. 30.

rerum essentia (i). Quae verba, quamuis sub-obscura sint, illud tamen videntur significare, animae neque a terra aut aqua, neque ab aëre & igne interitum imminere, propterea quod ex his cunctis omnium rerum elementis ipsa anima composita & effecta sit. Sed quocunque iam modo de ignobilioris animae partis compositione ipse Pythagoras statuerit; EMPEDOCLEM certe, alumnum Pythagoreae scholae a cunctis animam quatuor elementis composuisse, dubio caret (k). In Pythagorae igitur schola cum probaretur, in anima nostra inesse illam ipsam diuinam tetractyn, seu compositionem quatuor elementorum; Illustri MOSHEMIO auctore iam & illud audeo, quod supra me facturum negaui, vti, quae sit in Pythagoreorum iureiurando verbo παραδιδόναι vis subiecta, definiam (l). Omnino enim non imbuta modo est anima nostra cognitione quaternionis; sed plane illius particeps & compendium quasi totius habenda est mundi. Quocirca, τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν, transferre nihil dubito, *cum*

(i) c. 2. p. 41. seq.

(k) conf. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 30.

(l) l. c. p. 453.

eum, qui animae nostrae impertitus est, siue dedit tetractyn. Leuior est HENRICI MORI subtilitas, qui verbum, *παραδιδόναι* sollicitans, incommode illud positum fore autumat, si quidem participatio seu donatio tetractyos in hoc iureiurando inesset (m). Quasi vero PLVTARCHVS minus graece sciuisset, qui apertissimis verbis hunc ipsum versum de participatione quaternionis interpretatur: recitato enim isto iureiurando, pergit: καὶ ἡ ἡμετέρα ψυχή φησιν ἐκ τετράδος σύγκειται. *Etenim anima nostra ex Pythagorae sententia, quaternione constat* (n). Itaque ὁ παραδιδοὺς τὴν τετρακτὺν, *qui impertitus est tetractyn*, nec Pythagoras est: neque Pythagorei per ipsum Pythagoram iurasse censendi sunt: sed supremam diuinitatem, seu diuinum ignem, qui est causa efficiens & vniuersum mundum, & animam nostram, his quidem verbis isti deierarunt. Eleganter itaque Ill. Moshemius iusiurandum illud hoc modo explicat: *Iuramus per Deum, qui animum nobis dedit, ex quatuor elementis compositum & conflatum, quo cernimus, percipimus & diiudicamus omnia: quae quidem elemen-*

(m) vid. MOSHEM. l. c. p. 450.

(n) de Pl. phil. L. I. c. 3.

elementorum tetras fons est perennis naturae, & vnica, vnde reliqua fluxerunt omnia, causa (o). Quae quidem oratio adeo est apta, adeoque consentanea vniuersae Pythagoreorum disciplinae, vt, quidquid iam PLVTARCHVS aliique de quatuor principalibus animae facultatibus disputent, nonnisi ieiuna inanisque subtilitas habenda sit, ipsiusque Plutarchi potius aut iuniorum certe Pythagoreorum commentum, quam Pythagorae, priscorumque eius discipulorum esse sententia videatur.

§. XX.

Migrare hominum animas in alia atque alia corpora, ab Aegyptiis accepit Pythagoras, eamque rationem, vt caetera fere sua, inde in Graeciam apportauit: de qua animarum transmigratione non est, quod hoc loco repetamus, quae ab aliis iam copiose accurateque disputata sunt (p). Illud tamen, ad confirmandum, quod de TI-

(o) l. c. p. 453.

(p) conf. MOSHEM. ad CVDWORTH. p. 367. not 33, num. II. BAYL. voc. PYTHAG. not. M. BRVCKER. l c p. 1091. seq. MOVRGVES. dans le Plan theolog. Lettre XI. Art. 3. p. 492. seq. SCHIER. ad aurea carm. p. 78.

TIMAEO LOCRO aliquoties tulimus, iudicium nostrum, non possum facere, quin obseruem, nouum hac in parte occurrere specimen, quam longe ille a magistri recesserit auctoritate: vt qui totum istud transmigrationis genus tamquam Poetarum fabulas interpretatus est, excogitatas duntaxat terroris incutiendi causa (q); cum tamen Pythagoras vere animos istum absoluere transmigrationis circulum, quidquid etiam nonnulli eius purgandi gratia in medium attulerint, apertissime docuit. Possent & de consilio, quod Deus in demittendis in terram hominum animis propositum sibi ex Pythagorae sententia habuit, item de exercitationum generibus, quibus ad summum felicitatis fastigium animos perduci posse Pythagoras opinatus est, multa moneri, fortasse haud inutilia: verumtamen cum orationem pene vltra consilii nostri fines processisse sentiam; ista quidem disputatione in aliud tempus reiecta, huic tractatiunculae nostrae in praesentia statuamus Finem.

(q) vid. ipse TIMAEVS de anim. mundi in oper. Platonis. p. m. 558.

